



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

Theodoriti Episcopi Cyri Ecclesiasticae Historiae Liber Secundus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

THEODORITI
EPISCOPI CYRI ECCLE-
SIASTICAE HISTORIAE
Liber Secundus.

De sancti Athanasii reditu. CAP. I.



Iuinus ille Athanasius biennio integro & mensibus quatuor Triueri cōmoratus, reuertit Alexandriam. Quo quidem tempore Constantinus filius Constantini Magni natu maximus, qui Galliae versus occidentem imperiū obtinuit, literas ad ecclesiam scripsit Alexandrinam, quae ita se habent.

Imperatoris Constantini, Constantini filij, ad Alexandrinos epistola. CAP. II.

Constantinus Caesar populo catholicae ecclesiae, quae est Alexandriae S.

VEstra prudentiae minimè obscurum esse arbitror, quid causae fuerit, cur sacrosanctae legis, & doctrinae evangelicae interpres Athanasius à patre meo in Galliam relegatus sit. ne scilicet per nefariam improborum quorundam peruersitatem (nam agrestis infestorum & crudelium hostium immanitas eius capiti periculum intenderat) vulnera planè insanabilia sustinere coactus fuisset. Quocirca ut hanc nequam hominum malitiam effugeret, ex illorum quasi faucibus, qui ei struebant insidias, ereptus est, iussusq; ut sub mea dititione vitam degat, quo nō aliter ac si in ea ciuitate versaretur, in qua antehac vixerit, omnibus rebus ad vitam necessariis (licet eius eximia virtus diuina ope freta graues asperioris fortunae arunas pro nihilo putet) abundare circumfluereque possit. Quamobrem cum pater meus Constantinus Augustus, dignus sanè ob res praecclare gestas

THEODORITI HISTOR.

gestas, qui sempiternæ memoriæ commendetur, haberet in animo, episcopum illum ad propriam sedem locumq; vestræ cum primis sanctimonix gratia restituere, & morte, vt fors humana fert, antè occupatus occumberet, quàm id, quod erat sibi in optatis, explere posset, consentaneum certe existimaui, vt ipse institutum tam pij Imperatoris mihi exequendum susciperem. Quanta autem obseruantia & honore hominem complexus fuerim, ab eo ipso, simul atque in vestrum conspectum venerit, facile intelligetis. Nec mirum fanè, me istud humanitatis officium erga illum declarasse, nam tum quædam vestri desiderii, quasi effigies, tum grauis hominis persona ante oculos mentis obuersata, animû meum ad hoc ipsum commouit, vehementerq; cohortata est. Deus vos, fratres mei charissimi, sua prouidentia diu seruet incolumes. Cum istis Constantini literis sanctus Athanasius redit Alexandriam. Quem omnes tum ciues, tum rustici, tum nobiles, tum plebei, cupidè libenterque excipiunt, exceptis solum Arianis, quibus eius reditus molestiæ & angori fuit. Quapropter Eusebius, Theognis, & quotquot eorum factioni adhærebant, suas machinas ad Athanasium oppugnandum de integro admouere, & calumnias in aures Constantii Imperatoris, qui filius Constantini minor natus fuit, contra eum callide infundere cœperunt. Sed qua ratione hoc factum sit, & quemadmodum iste Imperator à vera doctrinæ apostolicæ regula deflexerit, deinceps commemorabo.

*Quomodo Constantius Imperator à recta fide abdu-
ctus fuerit. CAP. III.*

Constantiæ Licinij coniugi, & forori Constantini, magna intercessit familiaritas cum presbytero quodam Ariana labe infecto: qui tamen erroris morbum, quo laborabat, non palam ostendit, tamen assiduè, dum cum illa sermonem conferebat, dixit Arium falso accusatum esse. Huic Constantiæ frater eius Constantinus Imperator multo omnium illustrissimus, post mortem Licinij, viri sui impij, omni cura ac studio prospexit, eamque ex viduitate nihil incommodi capere passus est. Quinetiam cum mortem iam esset obitura, ei præsto fuit, neque vllum officij genus, quod

quod ad eam curandam spectabat, prætermisit. Quo quidem tempore illa presbyterum illum accersi iubet, Imperatoremque supplex orat, ut ei providere velit. Quod Constantinus & tum se facturum pollicitus est, & postea promissum re ipsa præstitit: quippe concessit presbytero, ut eius consuetudine atque adeo ope pro arbitrato suo vteretur. At presbyter, licet in maximo honore apud Imperatorem esset, tamen cum videret imperatoris animum de religionis doctrina confirmatum, suæ prauitatis morbum nequam ei aperire ausus est. Sed postquam Constantinus ad regnū immortale migrarat, & regnū imperiumque hoc caducum filiis testamento distribuerat, cum nemo illorum ei morienti adesset, isti soli presbytero testamentum concedidit, iussitque ut illud Constantio traderetur. Nam verisimile erat hunc, quoniam propius aberat Nicomedia, citius quam reliquos duos eò peruēturum. Hac de causa igitur presbyter & notus Constantio (dedit namque ei testamentum, sicut Constantinus imperauerat) & per familiaris factus est: iussusque, ut crebro ipsum adiret. Qui ubi inconstantem Constantij mentem, eamque non aliter atque arundinem à contrarij ventis huc illucque agitaram facile flecti vidit, confidenti animo bellum contra doctrinam euangelicam ciere cœpit. Atque tempestatem, qua ecclesiæ iactabantur, simulatè lamētatus, illius authores esse dixit eos, qui vocem *ὁμοῦσρον*, id est consubstantiale, minimè in scripturis repertam doctrinæ fidei adiecissent: hancque rem vnam tum inter sacerdotes, tum inter laicos non parū discordiæ profeminasse. Deinde Athanasium & eius doctrinæ fautores insimulare, parareque contra eos insidias aggreditur. Hoc adiutore vsi Eusebius, Theognis, & Theodorus Perinthius (erat quidem Theodorus vir doctrina præter cæteros exquisita, scripsitque commentarios in sacra euangelia: vulgò Heracleotes nominatur) frequenter admodum, quoniam habitabant in proximo, in imperatoris venere conspectū, reditumque; Athanasij ab exilio multorum malorum causam extitisse dixere: & nō AEgyptū solum, verum etiam Palæstinam, Phœniciam, & alias finitimas gentes turbulentis illorum fluctibus grauiter agitare.

THEODORITI HISTOR.

De secunda Beati Athanasii relegatione, & Grego-
rij tum ordinatione tum morte. CAP. IIII.

HIS & similibus rationibus cum leuem in primis & flexibilem Constantij animum oppugnassent, persua-
dere vt Athanasius ecclesia pelleretur. Athanasius au-
rem, intellectis eorum insidiis, clam se subduxit Alexandria,
& recta in Occidentem contendit. Etenim Iulium episco-
pum, qui tum Romanam rexit ecclesiam, Eusebiani de cri-
minibus, quæ falso contra Athanasium confinxerant, per
litteras certiore fecerant. Ille ecclesiæ canonem secutus, &
eos iussit Romam venire, & diuinum Athanasium, quo pro
se in iudicio ipse responderet, vocauit. Qui vt primum
fuit accersitus, eò maturè contendit. Tragediæ autem au-
thores Romam ideo non sunt profecti, quòd intellexerunt
sua mendacia manifestò fore deprehensa. Qui vbi oues
gregis Alexandrini pastore destitutas vident, quendam no-
mine Gregorium, lupum videlicet in locum pastoris, sub-
stituunt. Qui ad sex annos multo maiore crudelitate, quàm
agrestes belluæ, in gregem vsus tandem à suis ipsius oui-
bus misere extinctus fuit, debitasq; suæ improbitatis pœ-
nas persoluit.

De Paulo Constantinopolitano episcopo. CAP. V.

Athanasius vero ad Constantem accedens (Constan-
tinus enim filius Constantini natu maximus, in bello
interemptus erat) de factionis Arianæ insidiis con-
queri, bellum contra fidem apostolicam excitatum lamen-
tari, & tum patris, tum magni concilij Nicæni, quod ille
conuocauerat, eum in memoriam reducere cœpit: quinetiã
decreta patrum, quibus ille vna interfuerat, ab eo lege con-
firmata fuisse. Talia cum gemitu & lachrymis apud Con-
stantem Imperatorem elocutus, eum ad patrem æmulandũ
excitauit. Nam simul atque ista audiuit, litteras scripsit ad
fratrem, quibus cum hortabatur, vt hæreditatem pietatis
paternæ integram inuiolatamq; seruaret. Illum enim im-
perium pietate stabiliuisse, tyrannos, qui Romanos oppres-
serant, profligasse, & Barbaros vndiq; in suam potestatem
redegisse. Quibus literis persuasus Constantius, mandatum
dedit

dedit, ut episcopi tum Orientis, tum Occidentis Sardicæ, quæ est in Illyria vrbs gentis Daciæ primaria, aduentarent. Nam aliis multis morbis vexabatur ecclesia, ad quos curâdos concilium necessario requirebatur. Etenim Paulû, episcopum Constantinopolitanum, qui pro sana doctrina se periculis offerebat, Ariani, tanquam seditionis authorê ac ducem accusabant: aliâq; nonnulla ei obiectabant crimina, quæ per calumniâ pietatis præconibus inferre solebant. Verum populus veritus aduersariorum insidias, hunc Paulum Sardicam id temporis proficisci non sinit. Paulo autê post Constantius Imperator, cuius animus facillimè huc illuc impellebatur, Ariânorum suâsu Paulum Constantinopoli exturbauit, & ad Cucufum, paruû oppidû olim ditioni gentis Cappadociæ subiectum, nunc autê Armeniæ minori adiunctum, relegandum curauit. At ne hac quidem Pauli in solitudine commoratione contenti erant rerum omnium perturbatores Ariani, sed missis eò quibusdam suæ cruentæ voluntatis ministris, eum violenta morte affecerunt. Quod etiam Diuus Athanasius in Apologia, quam pro suæ fugæ defensione conscripsit docet, his fere verbis. Ariani, vbi Paulum episcopum Constantinopolitanum persecuti, in oppido Cucuso Cappadociæ repererunt, palam curauère strangulandum, Philippo præfecto, qui illorum hæreseos præses fuit, & perditorum consiliorum minister, carnifice ad eam rem vsi. Eiusmodi cædibus nobilitata est Ariana blasphemia. Nam talia scelera contra Dei famulos admissa, furori eorum aduersus vnigenitum Dei filium accenso pulchrè responderunt.

De Macedonio & hæresi ab eo introducta.

CAP. VI.

VBI autem Paulum hoc modo ad mortem, imò vero ad regnum cælorum miserant, Macedonium in eius locum sufficiunt: què quoniam pari ratione cum ipsis blasphemiam contra spiritû sanctû vsurpabat, suæ opinionis & doctrinæ fautorê existimarût. Verû nõ ita multò post, istû quoq; de episcopatû illiº gradu, ppter ea deiecerût, quòd què sacra scriptura filiû Dei nominat, creaturâ vocare recusauit.

THEODORITI HISTOR.

Qua de causa hic ab Arianis segregatus, propria cuiusdam ac separatae sectae author & patronus factus est: quippe filium patri consubstantialem dicere noluit. Sed docuit eum genitori in omnibus similem esse, & spiritum sanctum creatum aperte asseruit. Atque has quidem res non longo tempore post, ita ut diximus, gestas esse constat.

De Sardicensi concilio. CAP. VII.

DVcenti & quinquaginta episcopi, Sicut est à veteribus memoriae proditum, Sardicæ in unum convenere: quo etiam accessit magnus ille Athanasius, Asclepas episcopus Gaze, cuius supra facta est mentio, & Marcellus Ancyrae, quæ est urbs Galatiæ primaria, qui tempore magni concilij Nicæni episcopus fuerat. Aduentarunt illo præterea horum accusatores, & præfecti phalangis hæreticorum, qui dudum de Athanasio iudicium exercuerant. Verum quoniam concilij constantiam, & sanam de decretis diuinis Sententiã exploratè cognitam habebant, cum essent vocati, minimè ingredi voluerunt: Sed accusatores unã cum iniquis Athanasij iudicibus se inde subdixerunt. Quam rem commodius docebit concilij epistola: eamque quo eorum facta evidentius appareant, in historia intexere constitui.

Literæ Synodicae ab Episcopis qui illic conuenerant ad vniuersos orbis Episcopos conscriptæ.

CAPVT VIII.

Sanctum Concilium ab episcopis Romæ, Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, Campaniæ, Calabria, Aphrica, Sardinia, Pannonia, Mysia, Dacia, Dardania, & Dacia inferioris, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epiri, Thracia, Rhodopæ, Asia, Caria, Bithynia, Hellespoti, Phrygia, Pisidia, Cappadocia, Ponti, Phrygia minoris, Cilicia, Pamphylia, Lydia, insularum Cycladum, Aegypti, Thebaidis, Libya, Galatiæ, Palaestina, Arabia, per Dei gratiam Sardicæ celebratum, omnibus vbique episcopis, & ministris catholicae & apostolicae ecclesiae, dilectis fratribus in domino S.

Et fi

, **E** T si ab Arianis multa scelera, idq; non raro, contra Dei
 , seruos rectam fidem conseruantes iam pridē edita sunt
 , (nam adulterina & falsa doctrina supposita, veræ syn-
 , ceræq; doctrinæ patronos de suis honoris gradibus detur-
 , bare moliebantur) tamen nuper tantus impetus ab illis ad-
 , uersus fidem factus est, vt fama eius ad aures vsque sanctissi-
 , morum Imperatorum permanarit. Quocirca diuinissimi
 , illi Imperatores, iuuante Dei gratia, nos ex variis prouin-
 , cijs & ciuitatibus congregarunt, & hoc sanctum concilium
 , Sardicæ cogi statuerunt, vt non modo omnis tolleretur dis-
 , sentio, verum etiam deprauata de fide doctrina reiecta, ve-
 , ra pietas in Christum sola apud omnes conseruaretur. Ve-
 , nēre enim episcopi de oriente Imperatorum religiosissimo-
 , rum impulsu, potissimum quidem propter crebros rumores
 , de Charis. fratribus & collegis nostris, Athanasio episcopo
 , Alexadrino, Marcello episcopo Ancyre, quæ est in Galatia,
 , & Asclepa Gazæ episcopo dissipatos. Fortassis etiã tales de
 , illis calumniæ ad vos perlatæ sunt, quod vestras quoq; au-
 , res eisdem conturbare instituebant: eo quidem concilio, vt
 , tum criminibus ab ipsis aduersum innocentes cōfictis habe-
 , retur fides, tū improba ipsorum hæresis in nullā omnino su-
 , spicionē vocaretur. Cæterū nō diu permissa fuit illis pote-
 , stas talia scelera admittēdi. Dominus enim est, qui ecclesijs
 , præst, quiq; pro his omnibus mortē oppetijt, & per easdem
 , nobis omnibus in cœlum aditum patefecit. Nā quēadmo-
 , dum Eusebius, Maris, Theodorus, Theognis, Virfacius, Va-
 , lens, Menophantus & Stephanus literas cōtra collegas no-
 , stros, de quibus modo dictum est, Athanasium nempe epi-
 , scopum Alexandrinū, Marcellum episcopum Ancyre, vrbis
 , Galaciæ, & Asclepam episcopum Gazæ ad collegam no-
 , strum Iuliū, ecclesiæ Romanæ episcopum scripsere, sic scri-
 , psere quoque aduersarū partiū episcopi, quō tū integritatē
 , & innocētiam Athanasij collegæ nostri verè rēstificaretur, tum
 , Eusebianorū facta, nihil aliud in se complecti, quàm menda-
 , cia & calumnias pene innumerabiles ostenderent. Et quāuis
 , falsę eorum criminationes tū ex eo in primis, quod accersitē
 , à charissimo fratre & collega nostro Iulio non aduentarūt,
 , tum ex literis ab eodē ipso Iulio scriptis omnibus cōstare
 , possint (nam venissent certē, si modo ea facinora, quæ cōtra

THEODOR. HISTOR.

collegas nostros commiserant, se Iulio posse probare, non dubitassent) tamé suos fraudulentos conatus ex rebus, quas in hoc sancto ac celebri concilio gesserint, multo clarius apertiusq; patefecerunt, Vbi enim venere Sardicam, & fratres nostros Athanasium, Marcellum, Asclepam & alios adesse videre, in iudiciu venire metuebant. Ac licet semel, iterum, ac saepius essent vocati, minime tamen morem gesserunt. Et tametsi cum alij episcopi, qui in vnum conuenerant, tum Osius in primis, senex certe admodum venerandus, qui propter prolixum ætatis tempus, propter fidei confessionem, propter grauissimos denique exantlatos labores summo honore & reuerentia prosequendus erat, expectarent eos, rogarentque, vt venirent in iudicium, quo quæ de collegis absentibus diulgauerant, & aduersus illos scripserant, ea presentes ipsi vera esse conuincere possent, tamé vocati, vt diximus, non venerunt. Vnde sanè declararunt manifesto suas ipsorum calumnias, & tergiuersatione velut voce emissã, suas infidias & molitiones veteratorias palam prædicarunt. Nam qui suis dictis confidunt, ij ea coram asseuerare non recusant. Sed, quoniam isti in iudicio comparere volebant, arbitramur profecto iam meminisse obscuru esse (quamuis illi rursus omnia per dolum eludere in animum induxerint) quod cū nihil habeant, quo de collegas nostros plane conuincant, illis tamen & obtrectare absentibus, & præsentibus vitare student. Siquidem, fratres charissimi iudicio interesse detrectabant, non solum propter calumnias, quas ipsi contra istos excogitarint, sed etiam quod videbant ibi præsto futuros alios, qui eos erant varijs de criminibus accusaturi. Nam proferebantur in medium vincula, ferrum, homines ab exilio reuersi: venerunt etiam in iudicium collegæ nostri, qui ab alijs in exilio detentis redierant: adfuerunt præterea cognati & necessarij eorum, qui istorum maleficijs interiebant. Et quod omnium maximum est, præsto erant episcopi: quorum vnus vincula & catenas, quibus istorum opera constrictus fuisset, protulit: alij mortem ab eisdem non paucis per calumniam illatam testabantur. Etenim vsque eo istorum prorumpebat amentia, vt episcopum trucidare aggrediètur: & certe eum trucidassent, nisi ex eorum manibus elapsus fuisset. Porro comparuit in concilio beatæ memoriæ The-

riæ Theodolus, collega noster, qui eorundem effugisset calumnias: siquidem per calumniam eorum mors ei decreta fuit. Quinetiam alij ostendere plagas gladijs inflictas, alij fame ab illis se penè extinctos conqueri cœperunt. Atq; hæc testimoniis confirmare non plebei homines, sed integræ ecclesiæ: quarum gratia qui eò venerant, & earum legatione fungebantur, docebant milites gladijs cinctos, & turbas hominum clavis instructos ab istis comparatas esse: iudicum item minas, literas fictas ab eisdem suppositas ostendebant. Nam perlegebantur in concilio literæ Theognidis, quas contra collègues nostros Athanasium, & Asclepam, quò Imperatoris animum aduersum eos incenderet, conscripsit. Quæ literæ fuere diaconorum Theognidis iudicio depræhenfæ. Adde his virgines nudatas statutasque in publico, incendia ecclesiarum, collègues denique in custodias inclusos. Quæ mala omnia non aliam ob causam, quàm ob impiam Arianorum hæresim factitata sunt. Nam quicumque eorum doctrinæ consentire renuebant, hi eiusmodi cruciatus effugere nullo modo potuerunt. Ariani igitur cum ista animis antè agitassent, videbatur sibi in eiusmodi adducti angustias, vt quid libere agerent, non haberent. Nā cum puderet eos propterea facinorum suorum, quod ea amplius tegere non poterant, veniunt Sardicam, vt opinionem hominibus afferrent, se nihil omnino deliquisse. Verum vbi vident eos, quos falsò insimulassent, quos suppliciiis affecissent, adesse, quinetiam vbi tum accusatores tum iudices suorum scelerum ante oculos positos cernunt, in concilium etiam vocati, intrare noluerunt. Porro autem cum collegæ nostri Athanasius, Marcellus, & Asclepas magna libertate contra eos loquendi vterentur, grauius conquererentur, postularent, vt adesse vellēt, pollicerentur denique se non solum calumniam eorum refutatuos, verum etiam plane demonstratuos, quæ scelera contra ecclesias edidissent, isti suorum improbe factorum conscientia erant tantopere perterriti, vt tū inde aufugerent, tū per fugā calumniā suā aperirēt, tū clā se subducēdo maleficia ab se cōmissa manifestò fateri viderētur. Et quanquā eorū improbitas, & calumnia non ex rebus solū antè ab ipsis gestis, verum etiam ex his vel maxime, oculis cuiusque subiicitur, tamen ne ex fuga sua

ἀποφες
γεαδαί.

THEODOR. HISTOR.

velut anam ad noua maleficia arripiant, consultum duce-
 bamus facinora ab illis designata verbo veritatis accurate
 expendere. Qua re quidem ita constituta confectaue,
 comperimus ex ipsorum factis, eos verè calumniatores esse,
 & nihil aliud molitos, quàm vt insidias collegis nostris tē-
 derent. Nam Arsenius, quem ab Athanasio interfectum
 prædicabant, adhuc superstes est, & in numero viuentium
 cernitur. Ex qua re vna certe, commēta de criminibus, quæ
 passim contra pios diuulgassent, perspicuè deprehendun-
 tur. Quinetiam cum rumorem de calice tanquam à Maca-
 rio presbytero Athanasio cōfracto sparsissent, nonnulli, qui
 Alexandria, Mareote, & ab alijs locis Sardicam venerant,
 apertè testabantur, nihil eiusmodi à Macario admissum esse.
 Episcopi item Aegypti per literas scriptas ad Iulium col-
 legam nostrum satis confirmabant, nullam omnino fuisse de
 ea re suspicionem. At prædicant porrò se cōmentarios cō-
 tra eum scriptos habere: quos profecto licet ex vna parte
 confectos constet, tamen cum per eosdē & de gentilibus, &
 de catechuminis haberetur quæstio, vnus ex cathecuminis
 interrogatus, respondebat se intus fuisse, cum Macarius in
 eo loco præsto esset. Alius quoq; de eisdem rogatus, dixit,
 Ischyra, de quo tam crebros rumores illi dissipassent, mor-
 bo vexatum in cellula decubuisse. Ex quo perspicuum est,
 tum nulla prorsus mysteria id temporis ideo celebrata fu-
 isse, quod Catechumeni intus erant, tum Ischyram non ad-
 fuisse, sed iacuisse in cellula morbo oppressum. Etenim idē
 ipse Ischyras totus ex nequitia & fraude factus, tametsi fal-
 so mentitus esset, affirmando Athanasium librum quendam
 ex sacra scriptura cremasse, tamen se eodem tempore, quo
 Macarius ibi adfuerat, confessus est in lecto ægrotum decu-
 buisse: adeo vt inde se calumniatorem esse planè proderet.
 Denique calumniæ merces Ischyrae data est, nimirū vt epi-
 scopus nuncuparetur, cum nondum presbyter factus erat.
 Nam venere ad concilium duo presbyteri, qui antè cū Me-
 letio communicarant, postea autem à beato Alexandro epi-
 scopo Alexandriae in ecclesiam recepti erant, hiq; præsen-
 tes cum Athanasio testimonium dixere Ischyram nunquā
 fuisse ordinatum presbyterū, neq; Meletiū in Mareote, vel
 ecclesiā omnino habuisse, vel ministrum. Et tamen isti eum,
 qui

qui nunq̄ fuisse presbyter, iam tamen est factus episcopus
 pro se testem adducunt, quo possint, dū struunt calumnias,
 hoc episcopi nomine auditores obstupescere. His accedit,
 quod liber collegæ nostri Marcelli legebatur, indeq̄; Euse-
 bianorū fraus erat manifesto deprehensa. Nam quæ ille
 quærendo disceptandoq̄; posuerat, isti ex eis, ytpote cōces-
 sis & affirmatis ansam calūniandi cœperunt. Itaq̄; legeban-
 tur & ea ipsa, & alia, quæ deinceps sequebantur, quæq̄; ante
 easdem quæstiones posita erāt: ex quibus cōpertum est fidē
 Marcelli sanā sincerāq̄; esse. Neq̄; enim Deum verbum ex
 sancta Maria initium cepisse, sicut isti affirmant, neq̄; regnū
 eius finem habiturum sed ipsum tū principij, tum finis pe-
 nitus expers esse scripsit. Asclepas quoq̄; collega noster cō-
 mentarios proferebat, qui Antiochiæ præsentibus suis ac-
 cusatoribus, & Eusebio episcopo Cæsareæ confecti erant.
 Atque ex iudicium sententijs in eisdem contentis, se inson-
 tem declaravit. Non sine causā igitur, fratres chariss. isti ac-
 cersiti ad concilium, nō obtemperarunt: non sine causā iū-
 diciū effugerunt. Nam scelerum conscientia exagitati,
 fuga suas calumnias confirmarunt: perfeceruntq̄; vt crimi-
 nibus, quæ accusatores coram aduersum eos citabant ostē-
 debantq̄; fides adhiberetur: Quibus omnibus illud præte-
 rea adiungendum est, quod eos, qui ob Arii hæresim in cri-
 men vocati, & ab ecclesia eiekti erant, non modo ad se re-
 ceperunt, verum etiam ad altiore dignitatis gradum extu-
 lerunt. Nam & diaconos ad presbyterij honorē, & presby-
 teros ad episcopatum euexere non aliam ob causam, quam
 vt tum impiā doctrinā dispergerent lateq̄; propagarent, tū
 piā ac synceram fidem funditus delerent labefactarentq̄;.
 Istorum autem proximè & secundum Eusebianos princi-
 pem locum obtinent Theodorus Heracleæ, Narcissus Ne-
 roniadis Ciliciæ, Stephanus Antiochiæ, Laodiceæ Geor-
 gius, Acacius Cæsareæ Palæstinæ, Ephesi, quæ est vrbs Asiæ,
 Menophantus, Vrsacius Singidonis Mysiæ, Valens deniq̄;
 Murfi Pannoniæ episcopus. Etenim isti illis, qui secum ex
 Oriente venerāt, nō dedere potestātē vel veniēdi in sanctū
 cōcilium, vel ecclesiā Dei omnino adeundi. Qui dū iter fa-
 ciūt versus Sardicā, cogunt inter ipsos separatim conciliū,
 atq̄; paciscūtur cū minis adiectis, se cum venirēt Sardicam,

THE ODOR. HISTOR.

nequaquam vel ad iudiciū accessuros, vel intraturos in san-
ctū ac celebre conciliū, Sed simul vt eò peruenirēt, & se ac-
cedendo ad eam urbem, suo perfunctos officio ostenderēt,
quā primū inde fugituros. Quas res possumus cognoscere,
ex collegis nostris, Macario Palæstinæ, & Asterio Arabia,
qui tamen cū eis vnà venerant, iam tamen ab eorum infi-
delitate se separarunt. Isti enim ad sanctum concilium ad-
uentantes, aiebant se omnia, quæ gessissent, per vim sibi il-
latā coactos gessisse: adiungebantq; etiam illud, nēpē quod
recte veræq; fidei cupiditate incensi, huc venire ab illis fuis-
sent prohibiti: quandoquidē aduersum ipsos ab eorū opini-
one discedere cupientes minas iactare, multaque imperare
cœpisse. Quam ob causam omnes in vnīs ædibus manere
volebant, neq; sibi ipsi fecere potestatem vt vnus ab alio,
vel ad minimum temporis spatium se separaret. Sed vt
summatim dicamus, Sicut minimè consentaneū erat calum-
nias, ab istis excogitatas, vincula, cædes, verbera, literas frau-
dulentas falsoq; confictas, virgines nudatas statutasque in
publico, ecclesiarum euersiones, incendia, decessiones à mi-
norum ciuitatum & ecclesiarum gubernatione, ad maiorū,
& quod est omnium maximū, impiam Arii hæresim per eos
contra veram fidem excitatā silentio præterire in obscuroq;
relinquere: Sic æquum videbatur, vt charissimos fratres
nostros & collegas, Athanasium episcopū Alexandriæ, Mar-
cellū Ancyræ Galatiæ, & Asclepam Gazæ episcopū, & cæ-
teros, qui cum illis domino ministrant, innocentes & scele-
ris puros declararemus, scriberemusq; ad cuiusq; eorū dice-
cesin, quo populus ecclesiæ, quæ est ipsorū cuiusq; propria,
de sui episcopi integritate certior fiat, huncq; habeat pro
episcopo, eiusq; aduentum expectet: eos autē, qui instar lu-
porum in ecclesias ipsorum irruissent, Gregorium dico, qui
in Alexandrinā ecclesiā, Basiliū, qui in Ancyrā, & Quin-
tianū, qui in ecclesiam Gazæ irrupit, neq; nomet episco-
pos, neq; Christianos putet, neq; vllā cū illis omnino ha-
beat cōmunionē, neq; vllas ab ijs recipiat literas, neque ad
eos scribat. Quod verò attinet ad Theodorum episcopum
Heracleæ, quæ est ciuitas Europæ, ad Narcissum Neronia-
dis Ciliciæ, ad Acaciū Cæsareæ Palæstinæ, ad Stephanum
antiochiæ, ad Vrsaciū Singidonis Myfiæ, ad Valentē Myr-
forum

forum Pannoniæ, ad Menophantum Ephesi, & ad Georgiū
 Laodiceæ episcopū, quanq̄ metu perculsi, ab Oriente Sar-
 dicam non aduentarunt, tamen quia sunt non solū à Beato
 Alexandro episcopo Alexandriae abdicati, verū etiam nō
 minus, quā eos, quos supra posui, dementi Arii hæresi in-
 fecti, & in graua etiam crimina vocati, eos sacrosanctū cō-
 cilium cōmunibus suffragiis de episcopatus gradu dimo-
 uit: & nō modo nō esse episcopos, sed ne cōmunionē fide-
 lium dignos iudicauit. Nam qui filium à patris substantia &
 diuinitate separant, qui verbum à patre alienum arbitran-
 tur, hi meritō & excludendi sunt ecclesia catholica, & Chri-
 stianorum nomine penitus priuandi. Itaq; vobis omnibus
 anathema funto, propterea, quod sunt verbū veritatis cau-
 ponati. Nam idem ipsum præcipit apostolus: Si quis vobis *Gal. x.*
 euangelizauerit, præterq̄ quod accepistis, anathema sit. Iu-
 bete igitur vt nemo cū his cōmunicet. Non est enim com-
 mercium vllū luci cū tenebris hos oēs à vobis q̄ longissimè
 ablegate. Neq; enim est vlla cōsensus Christo cū Belial. Ca *1. Cor. 6.*
 uete, fratres Charis. ne vel scribatis ad eos, vel literas ab eis
 recipiatis. Vobis enitendū est, fratres & collegæ, vt spiritu
 præsentis, cōcilio nostro cōsentiatis, eiq; vestra subscripti-
 one suffragemini, quo cōcordia ab omnibus collegis nostris
 vbiq; integra cōseruetur. Illos autē tū excludim⁹ cōmunio-
 ne, tū ecclesiæ catholicæ finibus expellimus, qui asserūt Chri-
 stū Deum quidē esse, sed non verū Deum: filiū esse, sed non
 verum filium: genitū esse simul & ingenitum. Ita se, GENI-
 TVM, intelligere fatentur (his enim verbis vtuntur) quod
 genitum est, existit. Quinetiam Christo, qui est ante secula,
 finē tribuunt & initium: qui non in tēpore, sed ante omne
 tempus generationem habet. Itemq̄ nuper duæ viperæ
 ex aspide Ariana editæ sunt, Valens & Ursacius: qui qui-
 dem insolenter se efferunt, nec dubitant se Christianos
 dicere, cum tamen & verbum Dei, & spiritum sanctū, cru-
 cifixum esse, occisum, mortuum, & à mortuis excitatum, cō-
 stanter asseuerent. Porro ista coniurata hæreticorum
 turba contendit varias patris, & filij, & spiritus sancti
 subsistentias esse, easq̄ separatas. Nos autem hanc accepi-
 mus doctrinam, sic didicimus, hanc habemus catholicā tra-
 ditionē, fidē, confessionē, videlicet quod vna sit hypostasis
 (quam

THE ODOR. HISTOR.

(quam vocem hæretici vsurpant pro substantia) patris, filij, & spiritus sancti. Quod si percontentur à nobis quæ sit filij (vt ipsi intelligūt) substantia, respōdemus eam vnā eandemq; esse cum ea, quæ est verè patris substantia, neque patrem vnquam sine filio fuisse, neque filium sine patre, neque posse esse verbum, quod spiritu caret. Est enim absurdissimum affirmare patrem aliquando fuisse sine filio: imo vero nec patrem nominandum, nec posse esse absque filio, ipse filius locuples testis est, cum dicat: Ego in patre, & pater in me est: & rursus: Ego & pater vnū sumus. Neque quisquam nostrum negat eum genitum esse, sed genitum ante omnia dicimus, quæ visibilia, inuisibiliaq; vocant: fabricatorem, & opificem archangelorum, angelorum, mundi, humani generis. Nam ait scriptura: Sapientia omnium artifex me docuit. Et alio in loco: omnia per ipsum facta sunt. Quod si initiū habuerit, semper esse nō poterat: quandoquidem verbum Dei, cum semper extiterit, principium nō habebat, neq; Deus finem habiturus est. Porrò nō dicimus patrem filium esse, neque rursus filium patrem esse: sed pater, pater est, & filius, patris filius est. Confitemur item filium potentiam patris esse: confitemur verbum Dei patris esse, præter quod non est aliud. Quinetiam, verbū, verbum Dei esse, sapientiam, potentiam, & verum filium esse affirmamus. Sed non sicut cæteri filij appellantur, filium dicimus: siquidem illi, aut propter hunc dii sunt per regenerationem, aut propterea quòd digni habiti sunt, filij appellantur: non autem propter vnā cum Deo substantiam, quæ est patris & filij. Confitemur etiam eum & vnigenitum esse & primogenitum: sed vnigenitum verbū, quod semper erat, & est in patre: primogenitum autem propter naturam, quam habet cum homine communem. Differt tamē à creatura communi, propterea quòd est primogenitus ex mortuis. Confitemur præterea illum Deum esse: confitemur vnā esse patris & filij diuinitatem. Neque tamen quisquam est, qui aliquando neget patrem filio maiorem, non quod aliam habet essentiam, aut quod ab eo differt, sed quia ipsum nomen patris maius est, quā filij. Et propterea deprauata & execrabilis est Arianorum interpretatio, qui cōtendūt seruatorem, ideo dixisse, Ego & pater vnū sumus, quod fit inter eos consensus

Ioan. 14.

Ioan. 10.

Sab. 7.

Ioan. 1.

Ioan. 10.

consensus & concordia. Porro autem omnes ad vnum, qui
 sumus catholici, stultam atque adeo deplorandam eorum
 sententiam condemnauimus, qui dicunt, quod quemadmo-
 dum mortales homines, vbi decidere cœperint, mutuis iur-
 gijis odium contrahunt, & tamen postea redeunt in gratiam,
 eodem modo Deus omnipotens pater, & filius inter se dis-
 sentire discordareq; possunt: quod quidem nedum ad co-
 gitandum, verum etiam ad existimandum est omnium sce-
 lestissimum. Nos verò & credimus, & affirmamus, & intel-
 ligimus sacram illam seruatoris sententiam, quæ ita se haber
 Ego & pater vnū sumus, de æternitate essentia, quæ est vna
 eademq; in patre & in filio, capiendā esse. Itemq; illud per-
 petuò credimus hunc sine principio, & sine fine cum patre
 regnare, & eius regnū nec tempus habere, quo terminetur,
 nec qua consumatur, defectionem. Nam quod semper est,
 nunquam cœpit esse, nec aliquando deficere potest. Postre-
 mò credimus & mente complectimur esse paracletum, spi-
 ritum sanctū, quem nobis ipse Dominus & pollicitus est, &
 misit: atque hunc missum, non autem passum credimus: sed
 hominem, quem filius induit, quem assumpsit ex Maria vir-
 gine, passum esse, quia homo pati potest. Est enim homo,
 mortalis: Deus autē immortalis, Credimus quoque, quod
 resurrexit tertia die: non tamen quòd Deus in homine, sed
 homo in Deo excitatus est, quem patri suo obtulit pro do-
 no, quemq; à peccato & intereptione liberauit. Credimus
 denique quòd oportuno præfinitoq; tempore sit omnes
 & de omnibus iudicaturus. At verò tanta est Ariano-
 rum incitia, & tam crassa caligine cæcata est eorum mens,
 vt lucem veritatis videre nequeant, neque intelligant sen-
 sum huius sententia: vt & illi in nobis vnum sint. Planum
 certe est, cur vnum dixerit: quòd scilicet apostoli, tametsi
 spiritum sanctum Dei acciperent, tamen non idcirco spiri-
 tus erāt, neque quisquam eorum vel verbum, vel sapientia,
 vel potentia Dei, vel vnigenitus erat (sic autem loquitur
 scriptura: quemadmodum ego & tu vnū sumus, sic & isti in
 nobis vnum sint) sed hæc Domini sententia has res accurate
 distinxit. Non enim in eo sensu dixit, In nobis vnum sint,
 quo dixit, sicut nos vnum sumus, Ego & pater, sed vt disci-
 puli inter se coniuncti copulatiq; vnū essent fide, & con-
 fessione;

Ioan. 17.

THEODORITI HISTOR.

fessione, & per gratiã, ac verum cultum Dei patris, quinetiã
 per Domini Seruatoris nostri benignitatem & amorem v-
 num esse possent. Ex hac epistola & accusatorum calum-
 niã, & iniquitas eorum, qui iam pridem de Athanasio &
 reliquis episcopis iudicant, & sincera ac sana patrum in
 hoc concilio doctrina manifestò potest intelligi. Nam bea-
 ti illi patres non solum nos ea docuerunt quæ ad diuinam
 trinitatis naturam pertinent, verumetiam quid de mysterio
 incarnationis dominicæ sentiendum sit, enucleatè tradide-
 runt. De quibus rebus cum Constans Imperator certior fa-
 ctus esset, videretq; fratris sui Constantij lenitatem, ægre
 admodum tulit. Succensuit etiam grauer illis, qui ista
 tam subdole moliti fuissent, quique flexibilem Imperato-
 ris animum illexissent in fraudem. Itaque duos episcopos,
 quos ex eorum numero, qui Sardicæ conuenerant, ad eam
 rem delegerat, cum literis ad fratrem vnã cum Saliano præ-
 tore, viro & pietatis & iustitiæ insignibus eximie ornato,
 misit. Quæ literæ non hortatione solum, & consiliũ, ve-
 rum etiam minas dignas sane pio Imperatore cõplexæ sunt.
 Nam scripsit primum, vt duobus illis episcopis aures atten-
 tas præberet, & iniqua facinora à Stephano, & aliis admissa
 diligenter cognosceret: deinde gregi suo restitueret Atha-
 nasium, quippe cum & calumnia accusatorum, & iniqua e-
 orum, qui dudum de eo iudicant, sententia, atque adeo
 acerbum in eum odium perspicue depræhensum esset. Po-
 stremò ista adiecit, se nisi his conditionibus obtemperaret,
 & quod æquitas postulat, exequeretur, Alexandriam pro-
 fecturum, ouibus, à quibus tantopere expetebatur, resti-
 tuturum Athanasium, & hostium turbam inde exturbatu-
 rum. Constãtius igitur his literis Antiochię, vbi tũ commo-
 rabatur, acceptis, pollicetur se facturũ, quod socius imperij
 & cõmunis de rep. curę particeps ipsi per literas significarat.

ΣΓΑΤΗ#
 γορ.

*De Euphrata & Vincentio Episcopis, & dolis qui in
 illos intendebantur. CAP. IX.*

VERũm Ariani, veritatis oppugnatores his rebus graui-
 ter commoti, perditũ atque impium plane facinus e-
 dere moluntur. Interim duo illi episcopi ad domum
 quan-

quandam in cliuo positam diuertunt: Prætor autē aliud capessit diuersorij. Stephanus, qui id temporis susceptis ecclesiæ Antiochenæ guberuaculis, naufragium in ea facere constituebat, cum alios habuit suorum tyranicorum scelerum adiutores, quorum vsus opera, veræ doctrinæ potro nos variis affecit incommodis, tum iuuenem quendam, animo ad audaciā proiecto, vita impia ac scelerata, qui istorū dux fuit, qui que non homines solū foro abducere, contumelijs vexare, verberibus cædere, verum etiam facta in ædes irruptione, tum homines, tum mulieres grauitate insignes impudenter extrahere non veritus est. Sed ne longius sim in istius nequitia describenda, vnum solum facinus ab eo contra viros facile præstantissimos admissum exponam, ex quo de reliquis eius nepharijs maleficijs aduersus optimos viros patris satis coniecturæ capere poterimus. Iste primum ad quandam meretricem accedens, dixit peregrinos quosdam nuper venisse, qui noctu eius operam requirebant: deinde quindecim hominibus seditiosis collectis, hos circa sepes cliuum ambientes occultat: venit eò cum meretrice, & signo seditiosis, quod præscripserat, dato, vbi intellexit facinoris concios adesse, pergit ad atriensem ianuam diuersorij, in quo duo episcopi pernoctabant.

Quam apertam offendens (vnum namque è seruis ad id faciendum pecunia conduxerat) introducit meretricem: cui ostio ostenso cubiculi, in quo alter episcopus forte dormiebat, ingredi iubet ipse it interea seditiosos suos accersitum. Euphrates vero (hoc enim episcopo ætate prouectiori momen fuit) in cubiculo exteriori dormiuit. Vincen-tius autem (sic namque alter appellabatur) in interiore cubiculo quieti se dederat. Dū meretrix intrat cubiculi limen, Euphrates sentiens pedum strepitum, percuntatur quis sit, qui introiret. Respondente autem meretrice, Euphrates grauitè animo conturbatur, ratus sane dæmonem esse, qui vocē muliebrē effinxerat. Ac statim Christi Seruatoris implorat auxiliū. Onager vero (ita enim dux illius improbæ & seditiosæ turbæ vocabatur) qui præter manuū pedūq; vim, armis præterea ad pios oppugnandos vsus est, cū factiosorum turba in domū ingreditur: episcopos iniquos appella, propterea quòd ipsis in animo esset iniquū exercere iudiciura

Multo.

THEODORITI HISTOR.

Multo igitur sublato clamore, serui accurrunt: surgit è lecto Vincentius atque occlusa atrij ianua, septem ex feditio-
 sis illis præhenduntur. Onager cum reliquis aufugebat. Cum illis autem vnà, qui præhensi erant, custoditur mere-
 trix. vbi illuxit dies, episcopi prætorem qui cum ipsis ve-
 nerat, excitant: vnà adeunt palatium: grauius contra auda-
 cia Stephani facinora vociferantur: dicunt istius scelera non
 iudicium neque quæstionem requirere. Prætor autem max-
 ime omnium cœpit aduersus Stephanum clamare: orare Im-
 peratorem, vt de iniquo indignoq; eius facinore non in e-
 piscoporum concilio, sed pro tribunali iudicium quæretur.
 Seq; pollicetur primum episcoporum clericos, qui facino-
 ris conscij erant, supplicio coercendos traditurum. Step-
 hani quoque ministros ait eodem modo puniendos esse. At
 cum Stephanus petulanti ore illis cõtradiceret, affirmaretq;
 plagas clericis non infligendas esse, placuit Imperatori &
 magistratibus, vt quæstio de facto in regia haberetur. Itaq;
 primum interrogatur meretrix, quis eam ad episcoporum di-
 uersorium deduxisset. Tum illa, iuuenis quidam, inquit, ad
 me accedens, dixit & peregrinos venisse in urbem, & meam
 operam postulare. Sub vesperum igitur redit ad me, & ad
 diuersorium rectà deducit: deinde cū turba hominū, quam
 quæsiuerat, paratam offendisset, eā per ianua in ædes
 introducit: & in cubiculū exterius intrare iubet. Narrabat
 præterea meretrix, quid episcopus rogasset, quo pacto me-
 tu percussus, Dei opem precibus implorasset, & quemad-
 modum denique seditiosi illi in ædes irruissent.

De Stephani abdicatione. CAP. X.

HIS rebus cognitis, iudices minimum natu eorum, qui
 comprehensi erāt, in mediū adduci iubēt, qui nõ vsq;
 eo expectabat, quoad verberibus rem fateri cogeretur,
 sed facinus factū illico aperit, & Onagrū illius authorē fu-
 isse plane fateretur: qui corā adductus impellēte atq; adeo iu-
 bēte Stephano, illud ipsum se fuisse affirmat aggressum. Ad
 hūc modū ergo intellecta Stephani improbitate, primū epi-
 scopis, qui tum aderant, mandatū dant, vt hominem abdi-
 cent episcopatu: deinde illi ipsi eū ecclesia penitus expellāt.
 Nõ tamē ppter ea ecclesia labe Ariana omninò liberata est.
 Nā ei successit in episcopat^o illius administrationē Leōtius
 genere

genere Phryx, animo versutus, & saxis in vndis maris laten-
tibus similis. Sed de isto quidem paulo post dicā plura. Per
id temporis Constantius, cum pro certo cōperisset fraudu-
lentos aduersum episcopos conatus, scripsit ad magnum A-
thanasium, semel, iterum, ac tertio, quō illum, vt de occi-
dente reuerteretur Alexandriam impelleret. Vnam autem
eius epistolam breuem illam quidem historiæ hoc loco ad-
nectam.

Constantij ad Athanasium Epistola.

C A P. X I.

Constantius Victor, Augustus, Athanasio S.

Quanquam per superiores literas tibi significabamus,
vt animo securo ad nostrā aulam accederes, propterea
quòd in animo erat te ad tuam sedem mittere, tamen
has literas etiam tuæ grauitati dedimus, vti publico vehicu-
lo conscenso, ad nos absq; omni diffidentia ac timore ad-
uentare properes, quò rebus, quarum cupiditate ducaris, ma-
ture potiri queas.

Sancti Athanasii reditus secundus.

C A P. X I I.

Istarum literarum impulsione redeuntem Athanasium be-
nignè excepit Constantius, & ecclesiam Alexandri-
nam denuo capeffere iussit. Verùm qui tum apud
Imperatorem autoritate & gratia plurimum poterant,
iiq; erroris Ariani contagione infecti, aiebant Athanasium
debere vnam præbere ecclesiam illis, qui cum eo commu-
nicare nollent. Quæ cum dixissent Imperatori, & Impera-
tor Athanasio, respondet Athanasius se debere quidem Im-
peratoris mandatis obsequi, se tamen velle alia quædam ad
eum referre, eaq; postulare sibi itidem concedi. Imperatori
autem pollicenti libenter ei concessurum, quicquid pete-
ret, ait eos, qui Antiochiæ communicare recusarent cū his,
qui obtinent ecclesias, opus habere ecclesia, & propterea v-
nam ædem sacram illis similiter iure tribuendam esse. Vbi
verò annuit Imperator, & postulationem vtpote rectam æ-
quamq; approbavit, hæreticæ phalāgis præfecti, neutri parti
ecclesias tribuendas esse censēbant. Ob hanc causam Con-

GG

stantius

THEODOR. HISTOR.

stantius admiratus Athanasium, Alexandriam dimisit. Iam tum occubuerat Gregorius, ab ipsis Alexandrinis cæsus. Quocirca Alexandrini suo viso pastore, publica conuiuia celebrare, festos dies agere splendidissimos, eum magno honore afficere, & Deum denique laudibus extollere cœperunt.

De tertio eiusdem exilio & fuga.

CAP. XIII.

Verùm non longo temporis spatio interposito, vbi Còstans extremum vitæ diem obiit, rursus hi, qui Constantii animum, quo volebant, impellere potuerunt, reuocant eum in memoriam tum dissensionis cum fratre propter Athanasium susceptæ, tū quòd parum aberat, quin ruptis naturæ vinculis, bellum inter ipsos mutuò ea de re concitassent. Quibus rationibus impulsus Constantius, iubet D. Athanasium non exilio solum, sed morte mulctari. Itaque Sebastiano quodam duce cum ingentibus copiis ad eam rem misso, dat mandatum, vt Athanasium, velut sceleratum & impium è medio tollat. Cæterùm quo pacto & dux Athanasium adortus sit, & ille eius manus effugerit, nemo melius, quàm ille ipse, qui in hoc discrimen venerit, & mirandum in modum inde creptus sit, explicare poterit. Sic enim in Apologia, quam scripsit pro fugæ suæ defensione, narrat. Exquirant sedulò modum decessionis meæ, eamq; à suis cognoscant. Quippe erant quidam Ariani, qui comitabantur milites, quò tum eorum incitarent animos, tum nos illis vtpote ignotos ostenderent. Quod si hoc modo eorum animi minimè omnino commoueantur, tamen vbi quod deinceps dicam, audiuerint, pudore affecti, conquiescant. Iam quidem nox aduentauerat, & nonnulli è populo totam noctem in vigiliis contriuit, propterea quod sequenti die sacra expectabatur communio. Dux autem repente cum militibus amplius quinque millibus, qui tum aliis armis, tum strictis gladiis, arcubus, telis, & clauis instructi erant, vti antè dictum est, accedit. Atq; militibus in proximo collocatis circūdat ecclesiam, ne vlli inde egressi, eorum manus effugerent. Ego verò, quoniam neutiquam consentaneum existimaui populum in tanta perturbatione deserere,

ferete, sed potius eorum salutis causa subeundum esse periculum, absidens in folio, diacono mandavi, ut psalmum legeret, populusque attente auscultaret, cum recitaret hanc particulam, Quoniam in seculum misericordia eius: sicque omnes pariter de ecclesia decederent, domumque abirent. Verum cum dux deinceps vi irrupisset in templum, & milites ut nos comprehenderent, sanctuarium circumfessissent, non clerici solum, verum etiam nonnulli e populo, qui in eo loco erant, vociferari ceperunt, orareque ut nos iam discederemus. At ego acrius negare, me non ante discessurum, quam omnes sigillatim egressi essent. Itaque consurgens, orationem fieri imperavi, omnesque dum fieret, abire rogavi. Nam fatius esse dicebam, ut ipse in periculum venirem, quam ut ulli e nostris aliquid acciperent incommodi. Proinde egressis quam plurimis, & caeteris subsequenter, monachi quidam, & clerici, qui vna nobiscum erant, pariter ad folium nostrum accedentes, nos extraxere e sanctuario. Ad hunc modum igitur (veritatem testem cito) cum militum pars obsiderent sanctuarium, pars ecclesiam circuibant, domino duce itineris, & conservatore, per mediam turbam transivimus, & clam illis decessimus: Deum magnis effequentes laudibus, quod non populum prodideramus, sed illo salvo praemisso, nos etiam evaseramus incolumes, & insidiatorum manus effugeramus.

Psal. 106

De Georgio ac nepharis eius Alexadria facinoribus.

CAP. XIII.

VBI Athanasius ex cruetis eorum manibus hoc modo elapsus esset, Georgio lupo alteri illarum ovium grex commissa est, qui maiorem in eas crudelitatem, quam quisquam lupus, aut ursus, aut pardus in oves exercere solet, exercuit. Nam virgines, qui perpetuae castitati se addixissent, coegit non modo Athanasii denegare communionem, verum etiam fidei patrum anathema denuntiare. Suae vero crudelitatis socium atque adiutorem habuit Sebastianum quendam ordinum militarium praefectum: qui in media vrbe, accenso rogo, virginibusque nudis propter eum collocatis, fidem negare iubet. Quae sane spectaculum acerbum & miserum fidelibus pariter & infidelibus constituta,

GG 2 igno-

THEODOR. HISTOR.

ignominiam illam pro magno honore duxere, & verbera cupide ac libenter pro fide sustinere. Sed audiamus istarum pastorem Athanasium, à quo ista multò apertius ac planius exponuntur. Sic enim scribit. Tum Georgius, qui ab illis ex Cappadocia missus erat, tempore quadragesimæ accedens, perditos illos conatus, quos ab eis didicerat, ipse adauxit. Nam post septimanam Paschatis transactam, virgines in carcerem conijci cœptæ sunt: Episcopi constructi vinculis, à militibus abduci: ædes à viduis & orphanis abripi: direptiones fieri, in familias irrumpi: noctu ex ædibus vi deportari Christiani: ædes obsignari: fratres clericorum, pro clericis in vitæ periculum vocari. Per multum acerbitatis habuere ista quidem, sed multò plus ea, quæ sunt postea tentata. Septimana namque sacrosanctam Pentecosten subsequenti, populus, ubi ieiunauerat, in cœmiteriū propterea ad orationem egreditur, quòd omnes Georgij detestarentur communionem. Verùm vt primum ille insignitè improbus hoc intellexit, præfectum ordinum militarium Sebastianum, qui Manichæus fuit, cõtra illos incitat. Ille deinceps cum militum turba, qui arma, gladios districtos, arcus & tela gestabant, ipso die dominico in populum impetum facit. Cum verò paucos admodum orantes offenderet (nam maxima pars, quia hora præterisset, decesserat) talia admisit facinora, qualia ab illo admitti consentaneum erat. Rogum enim incendere: virgines propter ignem statuere: eas vt fidem Arianam profiteri se dicerent, cogere cœpit. Vbi eas non posse vinci animaduertit, ignisq; flammæ prorsus contemnere, detractis vestibus, sic eas in ora ac vultus verberare, vt diu post ægrè à suis noscerentur. Quinetiam viros quadragintaprehendere: eos nouo more ac modo verberibus cadere. Nam palmarum viminibus recens ex arboribus excisis, quæ suos adhuc habebant aculeos, ita tergalorum dilacerauit, vt nonnulli propter aculeos in ipsorum dorsa penitus infixos, sæpius chirurgos adire cogentur: alii, qui tam acerba cruciamenta ferre nequibant, mortem oppeterent. Omnes autem viri, quibus adhuc suppetebat vita, vnà cum virginibus ad magnam Oasim à militibus relegati. Corpora mortuorum, facinore iam recens edito, suis reddi minimè permiffa: sed illa proiecta inhumataque (sic
ipsis

, ipsis libitum est) occultabant iidem ipsi milites, quò popu-
 , lo afferrent opinionem, se tam crudelis facinoris minimè
 , conscios fuisse (istud insani illi errore mentis occæcati, pa-
 , trarunt) sed cum mortuorum necessarij & familiares pro-
 , pter confessionem suorum lætitiã animis caperent, pro-
 , pter corpora autem in mœrore & luctu versarentur, eorum
 , impietas crudelitasque maiore cum infamia & turpitudine
 , patefacta est. Porro autem Episcopos Aegypti, & Libyæ,
 , Ammonium videlicet, Musum, Caïum, Philonem, Hermè,
 , Plenium, Psenosirin, Nilammonem, Agathonam, Anagam-
 , phum, Marcum, Dracontium, Adelphium, Ammonium al-
 , terum, alterum etiam Marcum, Athenodorum: presbyteros au-
 , tem Hieracem & Dioscorum, actutum in exilium misere.
 , Atque istos è patriis sedibus exturbantes, adeo acerbè & cru-
 , deliter tractauere, ut nonnulli eorum, inter vias, alij in exi-
 , lio morte occumberet. Nam triginta & amplius episcopos
 , interfecerunt, & exemplum Achaab imitati, ad veritatem è
 , medio tollendam omni cura & cogitatione incubuerunt.
 , Idem Athanasius ad virgines illas, qui acerbos illos crucia-
 , tus pertulissent, orationes quibus eas consolaretur, scripsit,
 , in quibus quidem inseruit ista, ob hanc causam nulla ve-
 , stitum in mœstitia sit. Quamuis isti impij vobis inuideant
 , sepulturam, & funera ducere prohibeant: (nam hæcenus
 , quidem Arianæ tragœdiæ exitus) & portas occludant, &
 , propter monumenta, tanquam larvæ assideant, obseruantes
 , ne mortuorum quisquam tumulo condatur. Ista quidem fa-
 , cinora, aliaque his similia à Georgio fuere Alexandriæ patra-
 , ta. Diuus autem Athanasius nullum locum tam munitum
 , esse censuit, uti in eo tutus esse posset, præsertim cum Impe-
 , rator mandatum dedisset, ut vel viuus adduceretur ad se,
 , vel caput illius mortui apportaretur: essetque pollicitus am-
 , plissimam mercedem ei, qui hoc præstare vellet.

De Concilio Mediolanensi. CAP. XV.

Quanquam autem ipse Constantius, cum Magnentius
 post Constantis mortem imperio versus occidentem
 potitus esset, ad istius tyrannidem expugnandam in
 Europam cum exercitu profectus est: tamen ne istud qui-
 dem graue bellum, quod contra ecclesias susceptum erat,

THEODOR. HISTOR.

sedauit. Nam Ariani Constantio, cuius animus tum facile ad omnia impelli poterat, tum erroris Ariani contagione infectus erat, persuadent, ut Mediolani, quod est oppidum Italiae, concilium conuocaret: ac primum omnes, qui eo conuenirent, abdicationi, quae Tyri ab iniquis illis iudicibus sigillatim aduersus quosdam episcopos facta est, assentiri cogeret: deinde ut Athanasio ecclesiis eiectione, aliam fidei doctrinam componerent. Itaque episcopi literis Imperatoris acceptis eò conuenerunt quidem, sed tamè neutram earum rerum fieri permiserunt: imò verò coràm ipsum aperte coarguerunt Imperatorem, utpote iniqua & planè impia iubentem: & propterea fuerunt tum ecclesiis expulsi, tum ad vltimas orbis terræ oras incolendas condemnati. De qua re etiam diuinus ille & admirabilis vir Athanasius scribit in Apologia sua his ferè verbis. Quis tantum sceleris dicendo poterit exprimere, quantum isti consciuerint? Nam nuper cum ecclesiae pace fruerentur tranquilla, & populus in conuentibus preces faceret. Episcopus Romae Liberius, & Paulinus primariae urbis Galliarum, & Dionysius primariae urbis Italiae, & Lucifer primariae urbis insulae Sardiniae Episcopus, & Eusebius Episcopus etiam Italiae: qui omnes, quoniam boni episcopi erant, & veritatis praecones, sedibus patriis abrepti sunt, inque exilium acti, nulla alia causa culpave contra illos allata, quam quòd haeresi Arianæ consentire, & calumniis eorum ac falsis criminibus, quae contra nos confinxerant, subscribere noluerunt. Quod autem ad magnum Osium, senem in primis venerandum, & vere confessorem attinet, de eo certè orationem instituere superuacaneum arbitror. Nam neminem fortasse praeterit, hunc quoque ab istis exilio multatum: qui profecto senex est non obscurus, sed omnium facile illustrissimus. Nam in quo consilio non ille primas tulit? Cui non persuasit eius de recta fide instituta oratio? In qua ecclesia non praclarissima extant illius gubernationis monumenta? Quis more afflicto accessit vnquam ad eum, qui non lætus ab eo discesserit? Quis egens ab eo opem petiit: qui non voti compos abierit? Et tamen in hunc suam exercere malevolentiam non dubitarunt, propterea quòd cū calumnias, quas impietate adducti cõtexuerant, exploratè cognitās haberet,

crimi-

criminibus contra nos dolose comparatis subscribere recu-
 sauit. Quocirca quæ scelera aduersus illos sanctos viros e-
 dita fuerint, ex his quæ citauius, facile cognosci potest.
 Quæ autem contra alios etiam quàm plurimos Arianae pha-
 langis præfecti per insidias machinati fuerint, idem vir di-
 uinus in eodem opere itidem persequitur. Quem, inquit,
 Ariani infectati sunt, cui comprehenso non pro arbitratu
 contumelias imposuerint? Quis ab illis conquisitus, quem
 cum inuenerint, non ita tractarint, ut vel mortem miseran-
 dum in modum oppeteret, vel membra corporis cruciamen-
 tis haberet prorsus labefactata? Nam quæcunque iudices
 statuunt, ea istorum impulsione statuunt: imò verò isti eo-
 rum voluntatis & nefarij conatus administri sunt. In quo
 tandem loco non existit aliquod eorum improbitatis mo-
 nimentum? In quem suæ sectæ & opinionis aduersarium
 non falsas criminationes veteratorie, more Iezabel, non
 confinxerunt? Cui ecclesiæ luctum, illorum non attulerunt
 insidiæ? Nam in magno mœrore est Antiochena propter
 Eustathium confessorem & verè orthodoxum. Balanæen-
 sis pro Euphratione lamentatur. Ecclesiæ Ponti & Anta-
 radi ob Quintianum & Carterium lugent. Adrianopoli-
 tana flet se orbatum pio Eutropio & Lucio eius successo-
 re, quem isti vinculis & catenis sic excruciarunt, ut mor-
 tem inde obiret. Ancyrensi porro ecclesiæ priuari Mar-
 cello, Berœensi Cyro, & Gazensi Asclepa, maximo plane
 dolori fuit. Hos namque iam pridem contumelia affe-
 ctos isti veteratores exilio mulctandos curauerant. At The-
 odulum, & Olympium episcopos Thraciæ, nos præterea &
 presbyteros nostros propterea vndiq; conquiri effecerunt,
 ut si essemus vsquam reperti, capitis supplicio afficeremur.
 Itaque sic fortasse morte occubuissemus, nisi præter eorum
 voluntatem etiam tum ipsorum manus effugissemus. Nam
 literas ea de re, contra Olympium quidem ad Donatum
 Proconsulem, contra nos autem ad Philagrium dederant.
 Eiusmodi fuere scelera, quæ ista impia factio contra san-
 ctos viros admisit. Osus, de quo dixi, Cordubæ fuit
 Episcopus: qui sicut in celebri illo Concilio Nicæno
 magnam laudem adeptus est, sic in Sardicensi omnium,
 qui eo conueniebant, facile primas obtinuit.

THEODOR. HISTOR.

Porro Liberij Episcopi longe excellentissimi liberam pro veritate disputationem, & sermonem plane admirabilem, quem habuit cum Constantio Imperatore hoc in loco ponere consilium est. Nam hæc à piis viris, qui id temporis vixerunt, sunt propterea scriptis prodita, quòd ad acuendum excitandumq; rerum diuinarum studiosos plurimum momenti habere putabantur. Iste Liberius, Iulio Syluestri successore mortuo, Romanam gubernauit ecclesiam.

*Liberij Episcopi Romani & Constantij
Imperatoris Dialogus.*

CAP. XVI.

Dialogus Constantij Imperatoris et Liberij Papæ Romæ.

IMPERATOR CONST. Nos quoniam Christianus es, & nostræ ciuitatis episcopus, idcirco duximus operæ precium te accersere: hortariq; vt communionem nefariæ impij Athanasij dementiæ repudies. Nam hoc rectè se habere censet totus terrarum orbis: & eum sententiæ cõciliij ab ecclesiastica communione segregandũ iudicauit.

LIBERIVS EPISC. Iudicia quidem ecclesiastica, ô Imperator, summa cum æquitate fieri debent. Quapropter, si tuæ clementiæ ita visum sit, iudicium haberi iubeto. Et si Athanasius videatur damnationem commeruisse, tum sententiæ prout ordinis ecclesiastici formula postulat, contra eũ pronunciabitur. Nam fieri non potest, vt quemquam condemnemus, de quo non factum sit iudiciũ.

CONST. Totus terrarum orbis non de eius impietate solum, verũ etiã quòd semper tempus ludere conatus est, sententiam tulit.

LIB. EPISC. Qui eius damnationi subscripserunt, non res gestas ipsi oculis aspexerant, sed hoc est ab illis factitatum, vel quòd gloriã abs te assequi, vel quòd metu perculsi, vel deniq; quòd infamiam extimescere viderentur.

CONST. Quid est, quæso, gloria, quid metus, quid infamia?

LIBER. Qui gloriã Dei non amplexatur, sed tua munera ei prætulerunt, hi hominem absque iudicio condemnabant, quæ nunquam oculis vidissent: quod est à Christianorum officio plane alienissimum.

CONST. Atqui in Concilio Tyri celebrato de Athanasio, cum ipse præsto adesset, iudicium factum

, factum est, & omnes orbis terrarum Episcopi, qui in eo con-
 , cilio aderant, cum condemnarunt. LIBER. EPIS. Nun-
 , quam sane de eo præsente iudicium exercebatur. Nam
 , episcopi, qui ibi conuenerant, illum tum condemnabant,
 , cum è confessu egressus fuerat: & certe temere atq; incon-
 , sulto condemnabant. Hoc loco EVSEBIUS Eunuchus, A-
 , thanasius, inquit, alienus à fide catholica in concilio Nicæ-
 , no declaratus est. LIB. Quinque tantummodo, qui cum
 , eo vnà nauigarant, in Mariote iudicium de eo fecerunt: quos
 , quidem aduersarij eius eò miserant, vt contra eum reum fa-
 , ctum commentarios contexerent. Atq; ex istis, qui missi e-
 , rant, duo exierunt è vita, Theognis nimirum & Theodo-
 , rus: reliqui tres, hoc est Mares, Valens, & Vrsacius, etiam-
 , num supersunt. A quibus ad eam rem missis, in cōcilio Sar-
 , dicensi sententia de hac controuersia lata est: qui etiam in
 , eodem concilio libellos supplices dederunt: postularuntq;
 , veniam pro eo, quòd commentarios, vnius partis suffragiis
 , per calumniam contra Athanasium in Mareote confecerat:
 , quos libellos iam habemus in manibus. Vtris istorum, Im-
 , perator, nobis credendum communicandumq; est? illisve
 , qui primo eos condemnarint, secundo autè veniam petie-
 , rint, an his, quorum iam sint condemnati sententiis? Hic
 , tum EPICLETUS episcopus, non fidei inquit causa, Impe-
 , rator, hodie, neque iudiciorum ecclesiasticorum faciendo-
 , rum studio adductus Liberius hunc instituit sermonem, sed
 , quo possit apud senatores Romanos gloriari se rationibus
 , Imperatorem superasse. CONST. Tantane orbis terre pars
 , Liberi, in te residet, vt tu solus homini impio subsidio ve-
 , nire, & pacem orbis ac mundi totius dirimere audeas? LIB.
 , Esto quod ego solus sim: non tamen propterea causa fidei
 , fit inferior. Nam olim tres solum erant reperti, qui regis
 , mandato resisterent. Tum EVSEBIUS Eunuchus, Tu, in-
 , quis, Imperatorem nostrum facis alterum Nabuchodo-
 , nozor. LIB. Minimè sane, sed non minus temerè tu ho-
 , minem condemnas, de quo nullum factum sit iudicium,
 , quàm ille olim. At ego æquum censeo, vt primum genera-
 , lis proponatur episcoporum subscriptio, qua fides in con-
 , cilio Nicæno exposita confirmatur: deinde vt fratribus no-
 , stris ab exilio reuocatis, & ad suas ipsorum sedes restitutis,

THEODOR. HISTOR.

si isti, qui nunc tumultus cient, fidei apostolicæ assentire
comperiantur, tunc omnes contendamus Alexandriam, ubi
reus, ubi accusatores & causæ eorū patronus sunt: atq; litigā
tium causa diligenter cognita, sententiam de ea pariter fera
mus. EPICT. At ad episcopos eò cōuehēdos equi, iumē
ta & rhedæ, quibus cursus publicus confici solet, non satis
erunt. LIBER. Negotia ecclesiastica publicam vecturam
non desiderant: quandoquidem ecclesiæ ad Episcopos
suos ad mare vsque deducendos satis habent facultatum.
CONST. IMPER. Res, de quibus constituta est formula,
refringi nequeunt: siquidem plurium episcoporum rata de
bet esse sententia. Tu solus impij illius amicitiam ample
xaris. LIBER. Nunquam auditum est, Imperator, reo ab
sente, iudicem de impietate ac scelere sententiam pronun
ciasse, quasi priuatum odium in hominē exerceat. CONST.
Etsi omnes communiter, me tamen maiori quàm ceteros,
affecit iniuria. Nam non contentus est post fratris nostri
maioris natu Constantini interneccionem, sed beatæ memo
riæ Constantem minorem natu fratrem: nunquam cessauit
ad inimicitias nobiscum suscipiendas incitare: quod sane
factum fuisset, nisi nos æquiore animo & incitantis & inci
tati bilem tulissemus. Quare præclaram illam victoriam à
Magnentio & Siluano partam, non tanti facerem, quanti
istius ab ecclesiasticarum rerum administratione abdicatio
nem. LIBER. Noli per episcopos tuas vlcisci inimicitias.
Nam virorum ecclesiasticorum manus sanctificationi va
care debent. Quapropter si placet, iube episcopos ad pro
prias sedes restitui. Atque si videantur cum eo, qui etiam
iam rectam veramq; fidem in Concilio Nicæno expositam
tuetur, consentire, tum in vnum conuenientes, paci orbis
terræ prouideant: perficiantq; vt non cōpertum sit aliquan
do hominem, qui non deliquerit, damnatum esse. CONST.
Vnū est, quod queritur. Volo, vt tu ecclesiarū cōmunionem
amplectaris, & deinde Romā redeas. Proinde consule paci,
subscribe, vt Romam reuertaris. LIB. Iam fratres, qui sunt
Romæ, valere iussi. Nam leges ecclesiasticas obseruare, plu
ris faciendum cenfeo, quàm habere Romæ domicilium.
CONST. Itaq; trium dierū spacium tibi concedimus ad de
liberandum, vtrū subscribere volueris, & ita Romā redire,
an tecum

Vide Epi
ph. inter
pre. et li.
de imag.
Magistra
tuū Rom.

an tecum constitueris, quæ ad locum transferri placeat. LIB.
 Spatium trium dierum, aut mensium ratione non mutat. Quare
 mitte me, quo lubet. CONST. Post biduum, cum iudicium ha-
 bitum fuerit de Liberio, si consilium non mutet, exulet velim
 usque; Bercæam Thraciæ. Liberio inde decedenti Imperator
 misit in sumptum quingentos aureos. Liberius autem ei, qui at-
 tulerat, dixit: Abi domum, & istos ipsos aureos redde Impe-
 ratori. Siquidem eis opus habet ad militum stipendia. Impe-
 ratrix itidem misit ei totidem. Quos eum, qui apportauerat,
 iubet quoque Imperatori tribuere. Sunt enim, inquit, illi ad
 militare expeditionem necessarii. Quod si is eorum non in-
 digeat, det Auxentio & Epicteto. Nam illi eisdem egent. Po-
 stea verò quam istos recusauerat aureos accipere, Eusebius
 Eunuchus, alios ei affert. Ad quem Liberius: tu, inquit, eccle-
 sias orbis terrarum expilasti, & iam mihi ut damnato, egentique;
 affers eleemosynam. Abi primum, & Christianus ipse fias.
 Ac triduo confecto, Liberius nulla accepta pecunia, in exi-
 lium mittitur.

De exilio & reditu sancti Liberij. CAP. XVII.

ISTE strenuus veritatis propugnator & victor illustris
 Liberius, Thraciam, sicut erat ei imperatum, rectè cõten-
 dit. Biennio dilapso, Constantius proficiscitur Romam. Ma-
 gistratum autem & nobilium coniuges, orant maritos, ut à Con-
 stantio supplices petant, uti pastor Liberius suo gregi red-
 datur: seque; nisi eum exorarèt, deserturas eos, & ad egregium illum
 pastorem conuolaturas. Quibus responderunt mariti, se non
 parum Imperatoris iram extimescere: & cum viri sint, nullam for-
 tasse veniam ab eo impetraturos. Quod si vos ipsæ Imperato-
 rem pro Liberio deprecari volueritis, est vobis plane con-
 donaturus: atque; è duobus alterum eueniet, ut vel vestra vo-
 bis sit concessurus postulatione, vel si minus ad id faciendum
 adduci possit, vos illesas dimissurus. Quo consilio audito,
 præstantes illæ feminae, splendide, ut solent, & magnifice
 amictæ, accedunt ad Imperatorem, ut eas ex vestitus splen-
 dore nobiles illustresque; esse arbitratus, tum reuerentia erga
 ipsas, tum clementia utendum existimaret. Quæ cum
 hoc modo ornatae ad eum aduentassent, orant, ut vobis
 pastore orbatae, & luporum expositæ insidiis misereatur.

Quibus

THEODOR. HISTOR.

Quibus respondet Imperator, altero pastore ciuitati non opus esse, quippe cum haberet vnum, qui ei posset prouidere. Etenim successum est Liberio à fideli quodam illius diacono, nomine Felice: qui tametsi fidem in concilio Nicæno expositam ipse seruauit integram, tamen cum illis, qui eandem labefactare studebant, liberè communicauit. Ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus in ecclesiam, dū ille intus erat, ingredi voluit. Quam rem etiam mulieres Imperatori significarunt. Qua causâ sic inflectebatur Imperatoris animus, vt pastorem illum longe præstantissimum Romam redire, vtrosque communiter inter se ecclesiam illam regere iuberet. Itaque lectis Imperatoris in circo literis, plebs clamat, æquam esse Imperatoris sententiam. Nam bifariam diuisos esse spectatores, quibus nomē impositum est ex colorum varietate: & propterea alterum episcopum his, illis alterum præesse debere. Itaque cum hoc modo Imperatoris literas irrisione lusissent, omnes vno ore vociferantur: Vnus Deus, vnus Christus, vnus episcopus. Has enim voces emittere rectum esse censēbant. Quibus vocibus cum pietate & iustitia à pia plebe profusis, rediit Episcopus Liberius. Felix autem clam Roma se subducens, ad aliam urbem migravit. Ista quidem historiæ de concilio episcoporum Mediolani celebrato, narrandi serię seruata, attexui. Iam igitur ad rerum gestarum ordinem reuertor.

De Ariminensi Concilio. CAP. XVIII.

Fidei igitur propugnatoribus expulsis, illi, qui Imperatoris animus, quo vellent, impellere potuerunt, quoniam fidem sibi suâq; sectæ aduersariam se perfacile labefactare posse censēbant, & doctrinam Arii confirmare, persuadent Constantio, vt concilium episcoporum tum orientis, tum occidentis Arimini cogeret: mandaretque vt hæ voces, *SUBSTANTIA*, & *CONSUBSTANTIALIS* (quæ tanquam machinæ quædam ad perniciosam Arii & fraudulentam sectam expugnandam à patribus erant excogitatæ) ex fidei formula tollerentur. Ex his enim dissensionem in ecclesias inuectam dicebant. Posteaquam autem episcopi Arimini conuenerunt, illi qui macula Ariani erroris erant aspersi,

asperfi, reliquam episcoporum in vnum coactorum multitudinem suis præstigijs in fraudem inducere moliebantur, & maxime episcopos occidentis, quorum mores simplices erant, & sinceri. Dicunt enim corpus ecclesiæ minimè distrahi debere ob duas vuculas, easque in sacris literis nevtiquam scriptas, sed dicendum esse filium patri per omnia similem: vocem autem, *SVBSTANTIAM*, vtpote in scriptura non repertam missam faciendam esse. Verùm Episcopi, fraude istorum intellecta, eis, qui hæc dicebant, interdixerunt ecclesia, suamque mentem per literas Imperatori significarunt: dixeruntque se patrum, qui in concilio Nicæno conuenerant, filios & hæredes esse. Quòd si quicquam eorum decretis præclarissimè constitutis vel adijciant, vel detrahant, se ipsos plane spurios declaratuos, quippe cum patres suos insimulare viderentur. Verùm epistola ab ipsis ad Constantium scripta, exquisitam eorum fidei regulam apertius planiusque explicabit.

*Epistola Synodica ab Episcopis qui eo conuenerant,
ad Imperatorem Constantium conscripta.*

C A P. XIX.

*Concilij Arimini congregati epistola ad Constantium
Imperatorem conscripta.*

QVONIAM tum mādatum Dei, tum tuæ pietatis edictum ita postulat, idcirco ea, quæ olim de fide fuerint decreta, nostris suffragiis stabilienda iudicamus. Nam cuncti episcopi ex omnibus ciuitatibus ad occidentem sitis, Arimini in vnum conuenimus, vt & fides ecclesiæ catholice fieret illustrior, & illius aduersarii perspicuè deprehenderentur. Postquam igitur diu deliberatum est, placuit eam fidem, quæ ex antiquis ducta temporibus hætenus permanserit, quæque à prophetis, ab euangelistis, ab Apostolis denique per gratiam Domini nostri Iesu Christi, tui imperij defensoris, conseruatorisque valetudinis prædicata sit, firmè retinere, retentam perpetuò defendere. Absurdum enim, imò nefas certè videbatur, quicquam commutare in illis, quæ rectè vereque definita essent, quæque fuissent ab omnibus in Concilio Nicæno coactis, tui patris Constantini Imperatoris illustrissimi subsidio accuratè exquisita excussaque, quorum

THEODOR. HISTOR.

quorum denique doctrina & sententia per omnium hominum aures mentesq; peruasisset, palamq; esset prædicata. Cuius vnus doctrinæ vi Arii hæresis expugnata, prorsusq; extincta: cuius etiam adiuuamento, non ea solû, sed aliæ quoq; hæreses extirpatæ. Cui profecto aliquid adijcere tutum nõ est, & ab ea quicquam detrahere, periculosum. Quòd si alterutrum istorum eueniat, erit tanta aduersariis impunitas, proposita, vt quod libeat, licenter exequantur. Itaque Vrsacius & Valens, quoniam iam pridem animos suos Ariano dogmate implicauerant, & nostra erant propterea communiõne segregati, non modò illos, vt eiusdem communionis, denuo fierent participes, pœnituit delictorum, quæ se admisisse sua ipsorum conscientia plane arguebat, verû etiam, vt ipsorum scripta testantur, veniam obnixè postulauere. Quibus de causis omnia eis crimina remissa fuerunt, atq; condonata. Ista quidem eo tempore gerebantur, quo concilium Mediolani habitum est, presentibus ecclesiæ Romanæ presbyteris. Cum igitur intelligamus Constantinum, principem certe omnium posterorum memoria post mortem celebrandum, diligenter elaborasse, vt fides illa Nicææ literis prodita, accuratissime perquisita explorataq; esset, absurdum sanè videretur, eo iam post acceptum baptismum vita defuncto, & ad tranquillitatem sibi debitam profecto, aliquid in ea nouare, & tot sanctos confessores ac martyres, qui huius doctrinæ authores inuentoresq; fuerunt, quiq; vt vetus ecclesiæ catholicæ poscebat institutû, omnino senserunt, inq; eo perstitissent perpetuo, prorsus contemnere. Quorû fidem ad tui imperii tempora Deus per dominum nostrum Iesum Christum perduxit: cuius auxilio sic tuum creuit imperiû, vt vniuersi orbis terrarum gubernacula teneras. At contrà, miserabiles illi & animo præditi planè deplorato, nefario impetu incitati, se impiæ doctrinæ præcones denũciare, & totû veritatis institutum euertere studuerunt. Nam vt primû conciliû ex tuo edicto in vnû coibat, ij suæ fraudis inuolucrû retexerû: & simul atq; Germaniû, Auxentiû, & Caiû, qui seditione ac discordiã induxissent, pari opinionû varietate irretitos animaduertebãt, tentauerunt per dolum & tumultû aliquid noui decidere. Quorum doctrina, quanquã vna erat, tamen totã blasphemiarû turbã

longe

longe superauit. Verū vbi intellexere eos, neq; eiusdē opi-
 nionis esse, neq; in perditis eorū conatibus cū illis conspi-
 rare, ad nostrū confessum se transtulerunt: perinde ac si iam
 contrariā doctrinā scriptis mandare in animo heberent. At
 non longo tēpore pōst, eorum mētes sunt facile patefactæ.
 Quocirca vt status ecclesiæ non eiusmodi iactaretur flucti-
 bus, & omnia turba ac tumultu volutata miscerentur, per-
 cōmodum videbatur, vt tū vetera decreta firma stabiliaque
 manerent, tū isti à nostra cōmunionē excluderentur. Atq;
 ob hanc causam legatos ad tuā clementiā cū literis misimus
 qui te doceant, mentē ac sententiā concilii: quibus quoq;
 dedimus mandatum, vt autoritate in primis testimonioq;
 legum olim rectē sancitarū veritatē confirmarent, atq; adeo
 tuæ significarent æquitati, nō vt Vrsacius, & Valens dixe-
 runt, pacē fururā esse, si instituta ritē & legitime facta euer-
 tantur (qui enim fieri potest, vt pacis authores sint hi, qui
 pacis vincula ruperint?) sed dissidium & seditionem inde
 cum in aliis ciuitatibus, tum in ipsa ecclesia Romana exci-
 tatum fore. Quamobrem tuam clementiam obtestamur, vt
 benignis auribus, ac vultu placido nostram legationē exci-
 pias: neq; permittas quicquam nouari ad cōtumeliam eorū,
 qui vita excefferint, sed nobis facias potestatem in his, quæ
 sunt à maioribus (quos quidem ingeniose & prudenter, spi-
 ritu sancto illis opem ferente, omnia transegisse cōstat) de-
 creta sancitaq;, firmē perseuerandi. Nam ea, quæ ab istis no-
 uata sunt, in credentium animis incredulitatem inserūt: in
 infideliū autem, crudelitatem. Obsecramus etiā, vt episcopis,
 qui in exteris regionibus vitā degūt, quiq; & ætatis ingraue
 scētis molestia, & paupertatis onere grauitè afflictiatur, tuo
 mandato copia fiat domū tuto reuertendi, quò ecclesiæ epi-
 scopis suis minimè destitutē maneāt. Porro aut istud præter
 cætera flagitam⁹, ne quid vel detrahatur veteribus decretis,
 vel omnino adijciatur, sed oīa, quæ à pia patris tui memoria
 ad hoc vsq; tēpus obseruata fuerūt, rata firmaq; permaneāt:
 neq; de cetero nobis quicq; de iis rebus facessas negocij, aut
 à nostris ipsorū ecclesijs nos abesse sinas, sed episcopi versen-
 tur cū suis ipsorū gregib⁹, vti precib⁹, & Deo sancte colēdo
 trāquillis animis vacēt, orentq; sedulo pro tua salute, impe-
 rio, & pace, quam Deus tibi sempiternā benignus largiatur.

Legati

THEODOR. HISTOR.

Legati nostri tum subscriptiones, tum nomina episcoporum ad te perferunt: qui etiam sacrarum literarum testimoniis tuam benignitatem ea, quæ ad decreta pertinent, satis accuratè docere possint. Hac epistola ad Constantium perscripta, & legatis cum eadem missis, qui multum apud Imperatorem autoritate & gratia poterant, quiq; Arianae sectæ principes erant, epistolam quidem acceptam Imperatori reddiderunt, sed legatos ipsos intromittere noluerunt: quippe Imperatoris animus, inquiunt, curis de Rep. susceptis districtus tenetur. Quod propterea ab istis factum est, quod putabant episcopos, quia longam moram ægrè essent laturi, desideraturiq; ad vrbes sibi commissas redire, coactos fore, vallum, quod contra hæresin struxerant, subruere disturbareq;. Sed frustra hic conatus ab ipsis susceptus est. Nam generosi illi fidei propugnatores aliam denuò scripsere ad Imperatorem epistolam, orauereq; ut tum reciperet legatos, tum ipsos à concilio dimitteret. Quam epistolam in historiam etiam inseram.

Altera ad Constantium epistola.

C A P. X X.

Victori Constantio Imperatori Episcopi Arimini congregati S.

TVAE Clementiæ literas accepimus, Imperator sanctissime, ex quibus didicimus, tibi propter necessaria Reip. negocia, eo tempore non satis suppetuuisse ocij, cum legatis nostris colloquendi: nobisq; in mandatis dare, ut eorum reditum vsque eo expectemus, quoad tua prudentia intellexerit ea, quæ sunt a nobis cõuenienter maiorum nostrorum institutis decisa decretaq;. Cæterum iam per hæc literas confitemur, tibiq; confirmamus nos à nostro proposito & sententia nequaquam discessuros. Legatis etiam nostris, ut idem præstarent, imperauimus. Quamobrem rogamus te, ut placido vultu, literas hæc à nostra modestia ad te perscriptas legendas cures: quinetiam ea, quæ nostris legatis obeunda imposuimus, æqui bonique consulas. Illud præterea tua benignitas iuxta nobiscum intelligit, quàm tritis & acerba res sit, tot ecclesias in tuis istis beatissimis temporibus

poribus Episcopis suis destitutas esse. Et propterea tuam
 clementiam iterum atq; iterum obtestamur, Imperator augu-
 stissime, vt ante hyemis asperitatem, modò tuæ pietati ita vi-
 sum fuerit, nobis ad nostras ecclesias reuertendi facias potè-
 statem, quò possimus Deo patri omnipotenti, & domino ac-
 seruatori nostro Christo, filio eius vnigenito, pro tuo regno
 consuetas preces cum populo fundere, sicut & ante semper
 fecimus, & adhuc facere non desistimus.

*De Concilio apud Nicæam urbem Thraciæ habito,
 & fidei expositione ab illo descripta.*

CAPVT XXI.

HAC epistola ad Imperatorem allata, Ariani cum eius
 animum ad iracundiam incitassent, perficiunt vt plu-
 rimi Episcopi Nicæam urbem Thraciæ inuiti tradu-
 cerentur. Quorum partem propter animorum simplicitatem
 callidè circumueniendo, partem minis perterrendo impel-
 lunt, vt eadem machina ad pietatem oppugnandam vtantur
 quam ipsi iam pridem excogitarant: nimirum vt has voces,
 SUBSTANTIA & CONSUBSTANTIALIS, ex fidei formula
 eximant, inq; earum loco SIMILIS ponant. Fidei autè for-
 mulam ab istis factam, non vt quæ rectè se habeat, sed vt quæ
 factionem Arianam manifestò coarguat, hoc loco citare est
 animus. Qua tamen impii huius nostræ ætatis hæretici non
 contenti sunt, sed pro hac voce SIMILIS, vocem DISSIMI-
 LIS vsurpare non verentur.

Peruersa fidei formula Nicææ Thraciæ edita.

Credimus in vnum & solum verum Deum, patrem om-
 nipotentem, ex quo omnia. Et in vnigenitum filium Dei,
 ante omnia secula, & ante omne principium ex Deo geni-
 tum: per quem omnia facta sunt, visibilia & inuisibilia: vn-
 nigenitum solum ex solo patre. Deum de Deo, similem pa-
 tri, qui eum genuit, secundum scripturas: cuius generatio-
 nem nemo nouit, nisi solus pater, qui genuit illum. Hunc
 nouimus vnigenitum Dei filium à patre missum: descèdissè
 de cælis, sicut scriptum est, in destructionem peccati & mor-
 tis, & genitum ex spiritu sancto & Maria virgine secundum
 carnem sicut scriptum est, & cum discipulis versatum esse,

HH & vni-

THEODOR. HISTOR.

& vniuersa œconomia plene iuxta patris voluntatē expleta, crucifixum, mortuum & sepultum. Descendisse ad inferos, quem infernus ipse exhorruit: resurrexisse à mortuis tertia die, versatum denuo cum discipulis: & diebus quadraginta completis, assumptum ad cælos: sedere ad dexterā patris: venturum in extremo resurrectionis die, cum gloria patris, vt redat vnicuiq; iuxta opera sua. Et in spiritum sanctum, quem ipse vnigenitus Dei filius, Christus, dominus & deus noster, promisit se missurum generi humano paraclctum, sicut scriptum est, spiritum veritatis, quem ipse misit, quando assumptus erat ad cælos, & sedebat ad dexteram patris, vnde venturus est iudicare viuos & mortuos. Nomen autem substantiæ, quod à patribus simpliciter ponebatur, quodq; ignoratū à populo, offendiculum peperit, Visum est, quoniam in scripturis nusquam profertur, illud omnino tollere: & quia diuina eloquia de patris & filii substantia non meminerunt, nullā prorsus deinceps illius facere mentionem. Atq; certe in persona patris, & filii, & spiritus sancti vna subsistētia, id est, substantia, ne nominari quidem debet. Nos ergo, sicut literæ sacræ nos docent, filium similem patri dicimus. Omnes autem hærefes, & quæ iam antea condemnatæ sunt, & quæ nuper exortæ, si huic fidei formulæ modò expositæ repugnent, anathema sunt. Huic formulæ nonnulli metu perterriti, alii dolo delusi subscripserunt. Qui autē ei consentire noluerunt, hi erant ad vltimas orbis terræ oras relegati.

Commētarius synodicus ad Illyricos Episcopos de Concilio Ariminensi à Damaso, & occidentalibus Episcopis scriptus. CA. XXII.

QUod autem ista fidei formula ab omnibus veritatis athletis, & ab his potissimum, qui versus occidentem habitabant, reprehensa sit, ex literis ab eisdē ad Illyrios cōscriptis satis constare potest. Inter eos vero, qui istarum literarum auctores erant, principem locum obtinuit Damasus, in Ecclesiæ Romanæ primatu successor Liberii, vir plurimis virtutis insignibus eximiè ornatus. Nonaginta habuit episcopos, ex Italia & gallia Romę in vnū coactos, qui his literis cōsenserūt. Quorū nomina hoc loco citare, nisi quòd superuacaneū esse arbitror. Eorū literę scriptæ sunt adhunc modum.
Episcopi

Episcopi ad sanctū Conciliū Romæ conuocati, Damasus, Valerianus, & ceteri, dilectis fratribus Episcopis, qui sunt in Illyrico, in domino Salutem.

ET si nobis pro certo persuasum est, sacerdotes Dei sanctissimi, vos sacrosanctam fidem nostrā, quæ doctrina apostolorum fundata est, firmè retinere, eamq; populo prædicare, quæ certè à decretis patrum, à quibus par est reliquos erudiri, nulla ex parte discrepat, tamè significatū est nobis à fratribus, qui in Gallia, & in agro Venetorum habitāt, nonnullos ad heresin amplexandam omni studio incūbere. Quod quidem malum, ne existat, non modo præcauere debent Episcopi, verumetiam quicumq; errores, vel quorundam inscitia, vel simplicitate eorum, qui peruersas interpretationes secuti sunt, in Ecclesiam inuecti videantur, his se opponere, cōcilioq; providere, ne deinceps in varias discrepantesq; doctrinas denuo prolabantur imperiti, sed quoties dissentientes opiniones ipsorum auribus inculcata fuerint, firmè patrum sententiis adherescant. Hac de causā à nobis decisum est, vt Auxentius nominatim condemnetur. Quare omnes legis diuinæ doctores, qui ditioni Romanæ subiiciuntur, ea quæ legis sunt, sapere, & fidem variis doctrinis nequaquam contaminare debent. Etenim vbi primum vitiosa Arianorū doctrina & blasphemia vigere inciperet (quæ etiam hoc tempore latissime serpit) trecenti decem & octo Episcopi, patres nostri, habito Nicææ concilio, hoc muro ad arma diaboli arcenda, fidem nostram cinxere, & hac antitodo venena depulere mortifera, sic vt crederetur, vnam esse patris & filii substantiam, vnam deitatem, virtutē vnam, vnam potentiam, vnam figuram, quin etiam spiritum sanctū vnam eandēq; cum illis substantiam habere & subsistentiā. Eum autē, qui aliter sentiret, à nostra cōmunionē iudicārūt alienū. Quā salutarē decisionē, & decretū planè venerādū, nonnulli postea alijs nouis decretis violare labefactareq; studeuerūt. At verò initio, qd' peccatū erat ab illis, qui Arimini formulā fidei cōcilio Nicæni nouare retractareue coacti sūt, aliqua ex parte ppter ea sarciebat, qd' se disputatiōe alio tēpore habita fatebant à veritate abductos, quodq; suā fidei formulā nequaq; sententię cōcilio Nicæni aduersari cogitabāt.

THEODOR. HISTOR.

Siquidem numerus episcoporum, qui erant Arimini in vnū congregati, præiudicij vim habere non debet, præsertim cū formula illa composita sit, neque episcopo Romano, cuius sententia præ cæteris omnibus expectanda erat, neque Vincentio, qui tot annis episcopatum integre gesserat, neque aliis eidem consentientibus: cumq; etiam quod est omnium maximum, illi ipsi, vti antè diximus, qui in fraudem illecti, à veritate deflexisse visi sunt, & post ad meliorem mētem de-
 nuo traducti, planè testentur, hanc formulam sibi magnopere displicere. Itaq; vestra integritas manifestò videt, hanc fidem solam, quæ autoritate apostolica Nicææ stabilita est, firmè perpetuo tenendam esse. Atque de hac ipsa fide tum episcopus orientis, qui se de ecclesia catholica esse profitemur, tum occidentis etiam episcopos, nobiscum vnà gloriari constat. Porro autem pro certo credimus eos, qui alia opinione tenentur irretiti, propter suum conatum breui fore & à nostra segregatos cōmunionē, & nomine episcoporum priuatos, vt tandem populo errore ipsorum liberato detur respirandi locus. Nam multitudinis error tamdiu nullo modo corrigi poterit, quamdiu episcopi eodem tenentur implicati. Quocirca facite, vt vestræ reuerentiæ iudicium cum omnium Dei sacerdotum iudicio, cui vos firme & constanter adherere credimus, omnino consentiat. Quod si fiat, eandem vobiscum rectam credendi viam nos quoque debemus insistere. Vestra charitas, quæso, ad nos rescribat, vt inde lætitiā capiamus. Valete fratres honoratissimi.

*Athanasii Alexandrini episcopi de eodem concilio
 epistola. CAP. XXIII.*

QVinetiam magnus ille Athanasius in epistola scripta ad Afros eadem ferè de concilio Arimini habito commemorat. Quas res, inquit, cum ita se habere constet, quis est eorum approbaturus sententiam, qui vel de concilio Ariminensi, vel vllum aliud præter Nicænum, allegant. Imò verò quis non oderit eos, qui patrum abrogant decreta, & quæ recentiore memoria Arimini per contentionem & vim constituta sunt, illis præferunt. Quis porro istorum sententiæ velit accedere, qui ne sua quidem instituta ipsi approbant? Nam qui, vti suprà diximus, amplius de-
 cem

eem fidei formulas (alio namque tempore aliam ac no-
 uam semper componebant) in suis conciliis conscripse-
 runt, apertè demonstrant se ipsos singula sua reprehendere
 concilia : idemq; istis, quod olim Iudæis proditoribus ac-
 cidit. Vt enim illi solo fonte aquæ viuentis relicto, vti scri-
 bit Hieremias propheta, lacus sibi foderunt, qui non pos-
 sunt aquam continere : ita isti pugna contra generale con-
 cilium suscepta, sibi multa constituerunt concilia, omniaq;
 inania atque adeo fabulis similia. Itaq; ne aures quidem pa-
 tefaciamus his, qui vel Ariminense, vel vllum aliud conci-
 lium allegant, quàm Nicænum. Qui enim Ariminense lau-
 dant, videntur sanè rerum in eo gestarum penitus ignaros
 esse. Siquidem si eas cognoscerent, non dubium est, quin
 de ipso concilio ne verbum quidem facerent. Nam vos nõ
 præterit, Fratres, certiores videlicet factos ab his, qui à vo-
 bis profecti sunt, Ariminum, Vrsacium, Valentem, Eudo-
 xium, & Auxentium, quibus cum vnà erat etiam Demophi-
 lus, propterea in eo abdicatos esse, quòd alia decreta præter
 ea, quæ fuerant in concilio Nicæno sancita, conscribere vo-
 luerunt. Et cum esset ab illis postulatum, vt hæresi Arianae
 anathema denunciarent, non solum illud facere renuerunt,
 verùm etiam eam vehementius acriusq; propugnare studu-
 erunt. Attamen ab episcopis, qui veri serui domini erant,
 rectamq; fidem amplexabantur, ad ducentos ferè numero,
 decisum est, vt omnes concilio Nicæno acquiescerent, ac
 præter illud amplius nihil vel quærendum, vel sentiendum.
 Quod quidem Constantio, qui concilium illud cogi man-
 dauerat, etiam per literas significarunt. Verùm qui Arimini
 erant abdicati, rectà profecti ad Constantium, perfecerunt,
 vt qui contra eos sententiam abdicationis pronunciauerat,
 tum afficerentur contumeliis, tum minis deterrerentur, ne
 ad suas ipsorum ecclesias redirent, sed hyemis asperitate in
 Thracia affligerentur, quo rebus ab istis nouatis consen-
 tirent. Quòd si qui sunt, qui concilium Ariminense
 prædicatione efferant, primum ostendant abdicationem
 eorum, quos suprà diximus, deinde quæ deciderunt Epi-
 scopi : videlicet præter ea, quæ patres in concilio Ni-
 cæno suis sententiis confirmauerant, nihil omnino quæ-
 rendum, neq; vllum aliud concilium ei anteponendū esse.

THEODOR. HISTOR.

Cæterum de his quidem rebus apud eos silentium est: illas autem pro se afferunt quæ in Thracia per vim gerebantur. Ex quibus perspicuè declarant sese, tum fautores esse sectæ Arianae, tum à sana sinceraq; fide prorsus alienos. Quòd si quis voluerit celebre istud concilium episcoporum Nicææ coactorum, cum istorum conciliis accuratè comparare, vt synceram pietatem illorum, ita istorum stultam temeritatem facile animaduertet. Nam qui Nicææ in vnùm conuenerunt, non vt abdicati, illic conuenerunt, sed vt hi, qui Filium Dei eandem habere cum Patre substantiam confessi sunt. At isti semel, & iterum antea, atque in ipso concilio Ariminensi iam tertio abdicati, non dubitarunt etiam scriptis statuere, neminem debere dicere deum vel substantiam habere, vel subsistentiam. Hactenus Athanasius. Eiusmodi sunt fraudes & machinae, quas Arianismi professores in Occidente contra veritatis dogmata comparauère.

De Leontij Antiocheni episcopi versutia, & quomodo eum liberè Flavianus & Diodorus reprehenderint. CA. XXIIII.

*Lacitum
vocat E
piphani-
us.*

ANtiochia verò post Stephanum, qui in Placidi locum successit, conuentibus ecclesiasticis eiectus fuit, Leontius primatum cepit: quem dignitatis gradum contra concilij Nicæni decreta adeptus est. Nam sua ipsius manu sibi execuerat testiculos. Cuius facinoris causa, etiam à B. Athanasio tradita est. Leontius, inquit, cum crimini ei daretur, quòd cum muliere adolescentula, nomine Eustolia versabatur, prohibereturq; illius vti consuetudine, sibi ob eam causam excidit testiculos, vt cum ea liberè versari posset. Verùm suspicionem in quam vocatus erat, eo pacto ab se minime amouit. Sed hoc factum, quoniam presbyter erat, grauiorem causam cur abdicaretur, attulit. Porro de reliqua eius vitæ institutione, ista etiam scribit. Quòd, inquit, ad improbos eius mores, & astutiam attinet, breuiter quoq; perstringam. Primum tametsi sordibus erat Arianae blasphemiae inquinatus, tamen eas callidè admodum occultare studuit. Etenim cum clerum & laicam etiam multitudinem in duas partes diuisam cerneret, & alteram quoque laudes Filij magis celebrarent, hanc coniunctionem, Et, adhibere, alteram autem

*Gloria
Patri &
Filio.*

autem hanc præpositionem, PER, in eodem ponere, & cum *Gloria*
 ad Spiritum sanctū ventū esset, præpositionē, IN, adijcere, *patri per*
 ipse totam glorificationem tacitus secum recitauit, adeo ut *Filium*
 qui prope eū erant, solum hanc particulā, IN SECVLA SE *in Spiri-*
 CVLORVM audirent. Quod si non alia eius facinora exta- *ritu san-*
 rent, quæ possent sceleratam animi eius nequitiam in oculis *cto.*
 omnium collocare, non sine causa diceret aliquis hæc ab eo
 excogitata esse, quo populi concordia prouideret. Verūm
 cum multa & graua scelera contra ecclesie patronos machi-
 natus sit, & homines impietate refertos, summa cura ac stu-
 dio complectendos censuerit, apertè declarauit se labem il-
 lam Arianam occultasse, tum quòd extimesceret multitudi-
 nem, tum quòd graues minas Constantij contra eos, qui au-
 debant filium patri dissimilem dicere, iactatas formidaret.
 Quem eius animum rerum gestarum euentus plane aperue-
 runt. Nam qui doctrinam sequebatur apostolicam, illis iste
 neque prospexit, neque vllum omnino honorem detulit
 ecclesiasticum. At qui insano Arrij cæcati erant errore, eius
 opera maximam sunt auctoritatem consecuti, & ad sacro-
 sanctos ecclesie ordines elati. Per idem tempus Aetius
 magister Eunomij, qui suis conatibus blasphemiam Arria-
 nam auxerat, in numerum diaconorum ascriptus est. Itaque
 Flauianus & Diodorus, qui tum seuerum viuendi genus pi-
 etatis ergo colebant, tum apertè doctrinam propugnabāt
 apostolicam, insidias Leontii contra pietatem comparatas
 palam coarguerunt: dixeruntq; Aetium malis viuendi in-
 stitutis educatum, qui nihil aliud moliebatur, quàm vt ex
 impietate viam sibi ad honorē muniret, & per ecclesie per-
 niciem diaconi nomine dignaretur. Ob quam causam mi-
 nantur se tum ecclesie illius communionem derelicturos,
 tum profecturos in occidentem, vt fraudulentos eius co-
 natus ibi declararent. Quibus rebus perterritus Leontius,
 eo quidem ministerio abdicauit Aetium, interim tamē re-
 uerebatur. Isti duo admirabiles viri, Flauianus & Diodo-
 rus, quanq̄ sacerdotii administrationē nondū sunt cōsecu-
 ti, sed annumerati laicis, tamen noctu & interdium ad pieta-
 tis studiū oēs sedulò excitarūt. Hi primi, psallentiū choro
 in duas partes diuiso, hymnos Dauidicos alternis canēdos
 tradiderūt. Quæ res primū icepta Antiochia, vbiq; puasit,

THEODOR. HISTOR.

& ad vltimas orbis terræ oras peruagata est. Hi etiam, rerū
 diuinarum studiosis ad martyrum monumenta in vnam con-
 gregatis, totam noctem vnā cum illis Deum hymnis cele-
 brando contriuerunt. Quas res cum videret Leontius, eos
 prohibere non propterea censuit tutum esse, quòd animad-
 uertebat multitudinem illos optimos viros summa comple-
 sti beneuolentia, sed oratione, lenitate quadam & blandi-
 loquentia colorata, postulat ab illis, vt hoc ministerium in
 ecclesiis obire vellent. Hi igitur, licet eius nequitiam explo-
 rate cognitam haberent, nihilominus tamen eius postulati-
 oni morem gerunt, & omnes consueti sui ministerii partici-
 pes alacri admodum animo in ecclesias conuocant, hortan-
 turq; vt ibi sanctissimum dominum nostrum hymnis cele-
 brent. Attamen Leontius haudquaquam inde adduci pote-
 rat, vt suam coerceret improbitatem, sed modestiæ suscepta
 persona, detestabilia Stephani & Placiti scelera occultauit.
 Nam istos peruerfa & pestifera doctrina infectos, licet vitā
 libidinofam & intemperantem consecrarentur, in numerum
 tamen presbyterorum atque diaconorum asciuit. At, qui o-
 mnibus virtutum generibus erant exornati, quiq; firmæ do-
 ctrinæ apostolicæ adhærescebāt, eos permisit honoris peni-
 tus expertes esse. Ob quā causam clerus cōplures habuit hæ-
 retica labe contaminatos: sed tamen maxima pars populi
 veram sanamq; doctrinam tuebatur: & propterea doctrinæ
 deprauatæ authores, suam blasphemiam palam proferre nō
 audebant. Verūm impia & conscelerata facinora à Placito
 & Stephano Antiochiæ designata propter multitudinē se-
 parata tractatione, propter magnitudinē autem lugubri illa
 Dauidis querela egent. Etenim de his non inscite dici po-
 test, quòd Ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te ex-
 tulerunt caput. In populum tuum malitioso animo egerūt,
 & consiliū inierunt cōtra sanctos tuos. Dixerunt, venite, &
 disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Israël
 vltra. Sed nos iam, quod reliquum est historiæ scribere ipsi
 aggrediamur.

Psal. 82.

*De ijs quæ Eudoxius Germanicensis nouabat, & de
 Basily Ancyra Episcopi & Eustathij Sebastia
 contra illum dimicatione. CAP. XXV.*

Germa-

Germanicia est vrbs in loco, quo Cilicum, Syrorum & Cappadocum fines terminantur, sita: subiecta autem ditioni Euphratesiæ prouinciæ. Cuius ecclesiæ antistes Eudoxius, simul vt Leontium mortuum intellexit, contendit Antiochiam, illiusq; vrbs episcopatum per ambitum arripit, vineamq; Domini tanquam aper syluestris vastat. Nam non suam improbitatem more Leontii velut inuolucris obtexit, sed palam contra doctrinam apostolicam rabie suam exercuit, eosq; qui ei contradicere audebant, incommodis cuiusque generis implicauit. Eodem tempore Basilius post Marcellum ecclesiæ Ancyrae, vrbs primariae Galatiæ suscepit gubernacula, Sebastia autem primariae vrbs Armeniæ antistes fuit Eustathius. Isti iniquitate & rabie Eudoxij intellecta, audacia eius facinora Imperatori Constantio per literas significarunt. Id temporis Constantius, quò vulnera à tyrannis Reip. inflicta illis iam è medio sublatis, sanaret, in occidente commorabatur. Hi duo episcopi, magna cum Imperatore familiaritate iuncti, propter præstabilem viuendi rationem summam apud eum auctoritatem cõsecuti sunt.

De Concilio rursus Nicæa coacto.

CAP. XXVI.

HIS rebus cognitis, Constantius scripsit literas ad Antiochenos nunquam Eudoxio factam à se potestatem illius ecclesiæ episcopatum obtinendi (istud enim idem ille Eudoxius prædicauerat) & propterea mādauit, vt tum vrbe expelleretur, tum pro rebus Nicææ, vrbs Bythiniaë gestis concilioq; illuc conuocato pœnas daret. Siquidem idē ipse Eudoxius perfecerat per illos, quibus rerum in palatio administrandarum cura erat imposita, vt Nicæa concilio celebrando assignaretur. Cæterum huius vniuersitatis moderator Deus, qui res futuras perinde atque præteritas intelligit, admirabili quodam terræmotu concilium impediuit. Nam maximam vrbs partem deturbauit terræmotus ille, & quàm plurimos eius habitatores è medio sustulit. Qua re intellecta episcopi, qui ibi in vnum conuenerant, maximo timore perculsi, ad suas ecclesias reuerterunt. Quod quidem factum diuinæ planè sapientiæ ascribendum arbitror.

HH 5 Nam

THEODOR. HISTOR.

Nam cum in illa vrbe fidei apostolicæ doctrina à sanctis patribus descripta esset, & alii postea ibi congregati, contrariâ doctrinam describere in animo haberet, Deus, qui ecclesiis providere non desinit, cōcilium illud propterea prohibuit, ne ex similitudine nominis ansam Ariani arriperet ad fraudem, neue concilium illud, Nicenū quoq. appellando, simplicium animos circumuenirent.

De Concilio Seleusiæ quæ est vrbs Thracia habitata, & quæ res orthodoxis Episcopis Constantinopoli contigerunt. CAP. XXVII.

ALiquanto temporis spatio interiecto, Constantius ab Eudoxii accusatoribus impulsus, Seleuciæ cōciliū cōuocari mandat. Est quidem Seleucia, vrbs Isauriæ ad mare sita, quæ inter vrbes illius gentis facilè primas tenet. Ad hanc urbem Episcopus oriētis, quin etiam Ponticos & Asianos frequentes accedere iubet. Per idem tempus Acacius Cæsareæ, vrbs primariæ Palestinæ, Eusebio mortuo, episcopatum gessit: quem quidem Conciliū Sardicense abdicauerat, sed ille contempta tanta Episcoporum multitudine, sententiæ contra se latæ restitit. Primatum autē Hierosolymorum post Macarium illum, cuius sæpe à me facta est mentio, obtinuit Maximus: vir ob certamina pro pietate suscepta egregiè nobilitatus. Cuius & oculus dexter erutus fuit, & dextri pedis flexus profus labefactatus. Isto ad vitam immortalem translato, Cyrillus alacris & promptus doctrinæ apostolicæ propugnator, in episcopatus gradu locatur. Isti duo, Cyrillum dico & Acacium, inter se deprimatu digladiantes, populum suarum ecclesiarum grauissimis affecerunt incommodis. Nā Acacius leui arrepta occasione, abdicauit Cyrillum, Hierosolymisque expulit. Cyrillus autem proficiscitur Antiochiam, quam pastore orbatam repperit. Inde Tarsum petens, cum Siluano, viro plane admirabili, & Ecclesiæ illius id tēporis antistite, aetatem degit. Quam rem vt accepit Acacius, literas dedit ad Siluanum, eumque de Cyrilli abdicatione certiorē fecit. At Siluanus, quoniam & reuerbatur Cyrillū, & multitudinē, quæ Cyrilli doctrinā cupidissime amplexata est, non nihil pertimescebat, à ministerio ecclesiastico illum minime pro-

prohibuit. Vbi episcopi cōuenerūt Seleuciam, Cyrillus, cū
 Basilio, Eustatio, Siluano, & reliquis sit concilij particeps.
 Accedit etiam Acacius ad conuentum episcoporum, qui e-
 rāt centū quinquaginta numero, dicitq; se nō prius cū illis
 de rebus in deliberationē vocatis cōmunicaturū, q̄ Cyril-
 lus, vtpote episcopatu abdicatus, è Concilio excluderetur.
 Itaque nonnulli pacis studiosi orant Cyrillū, vt è Concilio
 egrediatur, pollicenturq; post factā de doctrina fidei dijudi-
 cationē, de eius causa disceptatum iri. Quorum consilio cū
 minime obtemperaret Cyrillus, Acacius, illis relictis, abijt:
 atque profectus ad Eudoxium, eum metu liberauit, animum
 que reddidit, propterea, quōd Eudoxio promisit se tum
 patronum causæ suæ, tum adiutorem fore. Atque cum ve-
 tuisset illum in Concilium intrare, cum eo vnā petit Con-
 stantinopolim. Nam Constantius ab occidente reuer-
 sus, ibi tum cōmorabatur. Acacius imperatoris animū, cum
 conuentum Episcoporum coram imperatore accusasset, vo-
 cassetq; illum ceterum perditorum hominum ad perniciem &
 exitium ecclesiarum collectū, magnopere ad iracundiam in-
 cendit, præcipue tamen criminibus, quæ aduersus Cyrillū
 contexerat, bilē ei commouit. Nam aiebat sacram stolā ex
 aureis filis contextā, quā excellentissimus Imperator Con-
 stantinus ad Ecclesiā Hierosolymitanā cohonestandā Ma-
 cario illius vrbis Episcopo donauerat, vt ea amictus, Sacro
 sancti baptismatis ministeriū obiret, Cyrillū vendidisse, hāc
 que mercatū esse quendā eorū, qui in pulpito scenæ cātare
 solent: eā induisse, inter saltandū lapsū esse, & casu obrutū
 interiisse. Hunc Episcopos habētes Cōcilii fociū, de re-
 bus controuersis iudicare, & de aliorū causis disceptare ag-
 gressos. Ista arrepta occasione, qui primas in palatio obtinu-
 erūt, persuadēt imperatori, vt nō vniuersum episcoporū cē-
 tū (multitudinis enim cōsensum admodū extimescebāt) sed
 decē primarios solū ad se cōuocaret. Atq; in istorū numero
 fuere Eustathi⁹, Armeni⁹, Basilius Ancyre Galatię, Tarsi Sil-
 uanus, & Eleusius Cyzici episcopus. Hi accedētes ad Impe-
 ratorē, obsecrabāt, vti Eudoxij blasphemia & nequitia coer-
 ceret. At Impator doct⁹ ex aduersarię factionis sectatorib⁹,
 dicebat de illis rebus primum disceptandum, quę fidem at-
 tingunt: deinde eius causam accurate cognoscendam esse.

Cum au-

THEODOR. HISTOR.

Cum autem Basilius superiore sua consuetudine confidens, Constantium imperatorem, utpote doctrinæ Apostolicæ insidias tendentem, liberè coargueret, Constantius iniquo tulit animo, & Basilius, tanquam procellæ in ecclesijs obortæ autorem tacere mandavit. Vbi verò Basilius dicendi finem fecerat, Eustathius, o Imperator, inquit, quoniam placet de rebus fidei disceptari, considera quæso, blasphemias ab Eudoxio in vnigenitum dei filium impudenter iactatas. Ac statim ut ista dixerat, formulam fidei ab Eudoxio scriptam tradidit Imperatori, in qua præter alia multa impia verba, hæc præterea fuere posita: Quæ dissimili ratione proferuntur, ea sunt essentia dissimilia: At vnus deus pater ex quo omnia, & vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia, dissimile habent prolationem, nimirum Ex quo, & per quem, proinde filius patri dissimilis est. Quam fidei formulam eum recitari iussisset Constantius, & impietate in ea comprehensa grauius commotus esset, percontatur ab Eudoxio, vtrum ipse illam scripsisset. Qui extemplo negavit se eam scripsisse: nam Aetius, inquit, scripsit. Hic est idem ipse Aetius, quem Leontius olim, veritus accusationem Flauiani & Diodori, abdicauit diaconatu, quemq; Georgius, qui Alexandrinis tendebat insidias, & socium impie dictorum, & scelerate factorum adiutorem habuit: qui tamen id temporis apud Eudoxium vnà cum Eunomio etatem degit. Nam mortuo Leontio, & Eudoxio Ecclesiæ Antiochenæ præsulatum per ambitum nactus, redijt Aetius ab Aegypto, secumq; Eunomium deduxit. Ac cum doctrina secum consentientem reperiret Eudoxium, & præter impietatem, sibariticam etiam mollitiem ac delicias consecretantem, nullum locum Antiochia sibi commodiorem ad habitandum existimauit. Itaque simul cum Eunomio Eudoxij toris velut clauo affixus adhærescens, vitæ modum, qui est assentatorum proprius, studiose excolere, & modò huius, modò illius consuetudine uti, ventri denique & abdomini sedulò inferuire cœpit. Tum Imperator, hac re cognita, iubet Aetium introduci. Cui ingresso illam fidei formulam ostendit: sciscitatur num ipse esset eiusmodi verborum parens. Aetius rerum, quæ gerebantur, prorsus inscius, & quorsum eius rogatum spectaret, ignarus, ratus tamen se ex confessione non parum laudis adepturum, se illorum verborum partem esse

rem esse dixit. Imperator igitur, immani eius impietate per-
 specta, confestim mittit in exilium, & ad locum quendam
 Phrygiæ duci iubet. Atque iste quidem ignominiam, fru-
 ctum suæ blasphemiae accipiens, regia exturbatus est. Eusta-
 thius autem Eudoxium quoque eadem sentire affirmat. Nā
 Aetium eiusdem cum eo & domus, & mensē fuisse participē:
 & quo eius inseruiret voluntati, blasphemiae scribendæ se so-
 cium præbuisse: satisque argumenti esse eum illius formulæ
 perscriptæ conscium esse, quod Aetium dixerat eius authorē
 fuisse. Tum Imperator, at in iudicando, inquit, non est nitē-
 dum coniecturis, sed res gestæ sunt accurate peruestigandæ.
 Cui Eustathius, proinde, inquit, fac Eudoxius nobis omni-
 bus persuadeat, se non opinione cum Aetio consentire, sed
 formulæ ab eo scriptæ anathema indicere. Quam postulatio-
 nem Imperator lubens amplexatus, ita fieri mandat. At Eu-
 doxius tergiuersari, multas etiam quærere vias, quibus postu-
 latum illud effugeret. Vbi verò Imperatorem illud grauer
 ferentem, & minantem se eum, utpote impiæ opinionis cum
 Aetio participem, in exilium itidem eieciendum videt, suā do-
 ctrinam, quam necdum id temporis, verum etiam postea de-
 fendebat, omnino inficiatus est. Atqui contra vrgebat, Eusta-
 thium cum suis debere verbo ὁμοσίᾳ quia in scriptu-
 ra minimè extaret, anathema denunciare. Imo verò, inquit
 Siluanus, voces, *Ex nihilo*, & *Creatura*, & ἑτεροδοσίῳ id est,
Alterius Substantiæ, quæ neque in sacris literis repertæ sunt,
 neque oraculis prophetarum, neque apostolorum doctrinæ
 consentientes, reiiciendæ sunt, & ex omnibus diuinis conue-
 nitibus excludendæ. Cui assensit Imperator, & illos his voci-
 bus anathema indicere iussit. Illi etsi primò cōtradicare in-
 stituerunt, postea tamen, perspecta Imperatoris ira, eas ipsas
 voces, quas Siluanus ipsis proposuerat, licet ægrè, penitus e-
 iurarunt. Ac deinceps acius instare cœperunt, ut verbum
 quoque ὁμοδοσίῳ anathemate damnaretur. Cæterum Silua-
 nus ratiocinatione ritè vereque conclusa, cum illis, tum Im-
 peratori respondit. Si deus Filius neque ex nihilo, neque crea-
 tura, neque ex vlla alia essentia existat, idcirco deo Patri con-
 substantialis est, & deus de deo, & lumen de lumine, & eandē
 habet cum genitore naturam. At verò quāquam ista & firma
 ratione

ratione

THEODOR. HISTOR.

ratione, & vera concludebat, tamé nemo eorum, qui aderát, ei obtéperavit: imo verè factio Acaciana Eudoxianaq; contra Silvanum crebros clamores tollere, imperator etiá adeo ira exardescere cœpit, vt eú cum suis fautoribus in exilíu pel- lere minaretur. Tū Eleusius & Silvanus cum aliis nōnullis, dicunt in eius situm potestate, suppliciú de ipsis sumere, sed pietatē sectari, vel impietatē penes se ipsos esse, & propterea nunq; patrú doctrinam prodituros. Ibi Constantius, qui eorú sapiétiam, fortitudinem, & in tuenda doctrina apostolica loquendi libertatem admirari debuerat, eos eiecit ecclesijs, & alios in eorum loca substitui mandauit. Eo tépore Eudoxius sedem ecclesiæ Constantinop. per tyrannidē occupauit. Eleusio etiám episcopatu Cyzici exturbato, eius locú obtinuit Eunomius. His rebus ad hunc modú gestis, imperator per literas iubet Aetiú abdicari. Vnde ipsi Aetij impietatis consortes inducti, suæ ipsorum doctrinæ sectatorem abdicarunt: scripseruntq; etiám ad Georgium ecclesiæ Alexandrinę Antistitem epistolá, qua quid Aetio factum esset, significarunt. Quam quidem epistolam ideo historiæ adnectam, vt eorum improbitas (quippe & fautores suæ doctrinæ, & eiusdem aduersarios eodem ferè modo tractarunt) omnium oculis manifestò subijciatur.

Epistola Synodica contra Aetium scripta.

CAPVT XXVIII.

Exemplar Epistolæ à 1610 Concilio ad Georgium, contra Aetium ipsius diaconum obnefariam suam blasphemiam scriptæ.

Sanctum Concilium Constantinopoli conuocatum
Domino honoratissimo Episcopo Alexandriae Georgio, S.

QUòd Aetius ob nefaria sua scripta, eaque *σκανδαλώπ.* i. offēdiculis referta, à cōcilio cōdénatus sit, in eo certè episcopi aliud nihil, quàm quod canones Ecclesiæ postulabant, effecerūt. Nā primum abdicatus est diaconatu, deinde ecclesia exclusus: postremò hortationes adhibitæ, ne quisq; sceleratas eius legeret epistolas, sed ab oibus propterea abijcerentur, quod inanitatis nonnihil & dāni complexæ sunt. His accedit, quòd illi, & iis qui in eadem opinione ac-
senten-

, sententia cū eo perseuerent, anathema denūciauimus . Atq̄;
 , cōsentaneum sanè erat, vt omnes Episcopi, qui in hoc Con-
 , cilio conuenerant cōmuni consensu eū, vt autorem offen-
 , diculorum , turbarum , schismatum , tumultuosi sermonis
 , per orbem terræ grassantis , & mutux deniq̄ue in ecclesiis
 , seditionis execrarentur , vnoque ore de sententia contra e-
 , um pronunciata concordarēt . Attamen contra vota nostra,
 , contraq̄; omnem expectationē Seras, Stephanus, Heliodo-
 , rus, Theophilus, & eorum socii, neq̄; sunt nostris suffragati
 , sententiis , neq̄; suffragiis de eo latis subscribere voluerunt,
 , idq̄; cū Seras ipse aliud etiā arrogās facinus, & plenū insanie
 , prædicto Aetio criminis loco obiectaret: eum nimirū teme-
 , raria audacia elatum affirmasse, deum sibi reuelasse ea , quæ
 , vsq̄ue ab Apostolorum temporibus hætenus occultauerat .
 , Post quæ insana & insolentia verba , à Sera de Aetio pro te-
 , stimonio citata, illi, quos supra posuimus, ne precibus quidē
 , adduci persuaderiq̄; poterant , vt in iudicio de illo ferendo
 , nobis suffragarentur . Nos tamen patientibus animis eorum
 , causa ad prolixum temporis spatium ferre sententiam distuli-
 , mus, nunc indignando, nunc adhortando, increpando inter-
 , dum, aliquādo obnixè orando, vt nobiscū conuenirēt, cōsen-
 , tientēq̄; toti concilio sententiā pronunciarent . Ita q̄; expecta-
 , mus diu, si forte nos audire, si intelligere, si deniq̄; cedere vel-
 , lēt . Verū vbi longo tēpore expectandō, nullo modo eos ad
 , nostris de Aetio sententiis obsequendū inducere poteramus,
 , canonē Ecclesiæ eorū amicitix anteponendā arbitrati , eos à
 , cōmunionē Ecclesiæ excludēdos decernimus , dato illis ad
 , sententiā mutandā ad respiscendū, & ad alacri animo cū cō-
 , cilio cōcordandū consentiendumq̄;, sex integrorum mensi-
 , um spatium . Quod si intra præstitutum diem, mutato cōsilio,
 , amplecterentur cum fratribus cōcordiam, & decretis ab illis
 , de Aetio sententiis assentirentur , tum non solum vt reci-
 , perēt in ecclesiam, verū etiam vt suam in conciliis lo-
 , quendi libertatem , & mutuam nobiscum charitatem re-
 , cuperarent , statuimus : Sin autem in proposito susceptoq̄ue
 , consilio per hominum facilitatem pertinaciter manerent,
 , & canones ecclesiasticos contemnerent , episcopatus di-
 , gnitate dimouendos esse : quod si depositionem expecta-
 , uerint , alios in eorum loca episcopos substituendos ,
 vti sa-

THEODOR. HISTOR.

vti sacrosancta ecclesia ad ordinem sibi cōuenientē redacta, secum ipsa cōsentiat, vinculo charitatis ab omnibus omnium gentium episcopis, eadem dicendo, eadēq; mente & sententia in vnum cohærescendo, firmè conseruato. Quare ista ad tuam reuerentiam scripsimus, vt intelligas decreta concilij: quæ te obseruantem optamus, per gratiam Christi tuas ecclesias tranquille legitimeq; moderari.

Quæ causa Eunomianos & Arrianos diremerit.

CAPVT XXIX.

EVnomius verò tametsi in suis libris istum Aetium extollit, hominem dei vocat, & multis varijsque laudibus exornat, tamen in eo concilio eorum sententijs qui eum abdicabant, assensit, & ab eisdem Episcopus ordinatus est. Eudoxius autem, Acacius, & eorum socij, decretis Nicææ Thraciæ editis, quorum supra mentionem fecimus, assensu, ecclesijs Basilij & Eleusij regēdis alios delegerunt. De quibus singillatim differere superuacaneum arbitror. Itaq; res duntaxat ab Eunomio gestas explanabo. Vbi Eunomius Eleusio adhuc viuente, ecclesiæ Cyzicensis moderationē nactus est, Eudoxius, sana & syncera fide plebis perspecta, intellectoq; Imperatoris odio contra eos, qui dicebant vnigenitum dei filium conditum esse, admonuit Eunomium, vt suam occultaret opinionem, eamq; minimè aperiret illis, qui causam ad eum accusandum sedulo aucupabatur. Nam tempus, inquit, oportunū nacti, prædicabimus ea, quæ nūc silentio tegimus, eorumque ignaros docebimus, & contradicentes aut oratione persuadendo, aut cogendo vi, aut supplicijs afficiendo, in nostram sententiam pertrahemus. Cui admonitioni morè gerens Eunomius, suam ex occulto promit impietatem. At verò qui sacris literis educati institutiq; erant, cum animaduertent latentem istorum fraudem, iniquo animo tulerunt illi quidem, sed tamen palam illis contradice, temeritatis potius, quàm prudentiæ existimarunt. Itaque persona hæreticæ prauitatis induta, domum ad eos veniunt, orantque vt verè suam doctrinam ipsis exponere velint, & non permittant eos varijs doctrinis huc illucq; ferri. Tum demum Eunomius fidenti animo, aperuit suam quam celauerat opinionem.

Addunt

Addunt porro illi iniquè, imò verò impiè ab eo factum fore, si nò omnes eius moderationi commissi, veritatis fieret participes. Iste hisce ratiõibus & aliis eiusmodi adductus, in publicis ecclesiæ conuëtibus deinceps suam blasphemiam patefecit. Illi igitur studio ardèti incitati, Constantinopolim properè cõtendunt. Ac primum nomen Eunomii deferunt apud Eudoxium. A quo reiecti, veniunt ad imperatorè, apud eum de perniciofa Eunomii doctrina cõquesturi: eius dicta Arii blasphemiam impietate longe superare prædicant. Vnde imperator ira accensus, mādatur dat Eudoxio, vt curet Eunomium adducendum: & si criminis conuictus foret, Sacerdotii dignitate priuet. At cum sæpenumero accusatores Eudoxium ad id impellerent, ipseque tergiuersa retur, accedunt denuo ad imperatorem, queruntur, clamant nihil factum ab Eudoxio, quod erat imperatum, sed permisum ab eo, vt illustris ciuitas impiis Eunomii blasphemias exposita labefactetur. Tandem Constantius minatur se Eudoxium in exilium eiecurũ, nisi accersat ad se Eunomiũ, & de criminibus ei intentatis cõuictũ, supplicio coaceret. His minis perterritus Eudoxius, significat per literas Eunomio, vt fugiat Cyzico, eiq; crimini dat, quod suæ admonitioni & consilio non paruisset. Eunomius igitur metu percussus, se inde subduxit ille quidè, sed hãc ignominia notã non tacitus ferens, proditiõis accusat Eudoxium, & tũ sibi tum Aetio factam ab eo iniuriã dicit. De cætero igitur conuentum separatim sibi constituit. Nam quicumq; confeci erant eorum in doctrina consensionis, ab Eudoxio, vt proditiõis conuicto deficiunt: seq; coniungunt cum Eunomio, nomèq; ab eo sumptũ ad hodiernum diem retinet. Inde Eunomius sectæ cuiusdam princeps factus, Arii blasphemiam accessione quadam impietatis adauxit, Quod autem ambitioni inseruiens, separatim conuentum cõstituit, rerum euentus loquitur. Etenim cum Aetius abdicatus, ecclesia pelleretur, non vnã cum eo abiit, licet magistrum eum & hominem dei nuncupet, sed mansit firmè Eudoxio coniunctus. Vbi autem impietatis pœnas luisset, non concilii acquieuit sententiæ, sed iam episcopali dignitate spoliatus, episcopos & presbyteros ordinauit. Atque hæc gesta sunt Constantinopoli.

THEODOR. HISTOR.

De urbis Nisibis obsidione, & apostolica Iacobi
Episcopi vita. CAP. XXX.

Cum Saporex rex Persarum contra Romanos bellum
gereret, Constantius, collecto exercitu, venit Antio-
chiam. Quo quidem tempore hostes erant profligati
non exercitus Romani viribus, sed virtute Dei, quæ pij vi-
ri inter Romanos sanctè coluerunt. Victoriæ autè rationè
ac modum hoc loco exponere decreui. Nisibis brbs, quam
nonnulli Antiochiam Mygdoniæ appellant, in finibus, qui-
bus Romanorum & Persarum terminatur imperium, posita
est: cuius Episcopus, moderator, & dux fuit Iacobus, de
quo supra mentio facta est. In isto clari gratiæ apostolicæ ra-
dii elucebant. Cuius admirabilia & multorū celebrata ser-
monibus miracula, quoniã in historia, quæ inscribitur Phi-
lotheus, complexus sum, ea rursus enumerare, vt superua-
caneum, sic alienum ab instituto arbitror. Itaque vnū dun-
taxat narrationis propositæ causa commemorabo. Urbem
cui iste Episcopus præfuit, Romanorum ditioni subiectam,
fortè Persarum exercitus obsidebat. Quam ad septuaginta
dies obsessam, tametsi multas machinas mœnibus admoue-
bat, & ea vndiq; variis bellicis tentabat instrumentis, atque
adeo vallo & fossa circundabat, capere tamen omnino non
potuit. Postea alueo fluuij p mediã urbem labentis, qui Myg-
donius vocatur, satis longo interuallo supra urbem obstru-
cto, & ripis ad ingentem altitudinem, vti impetū aquæ in-
hiberent, exaggeratis, vbi vider tantam aquæ copiam, vt de
cætero aggerem inundaret, subito eam, velut machinam, in
morum præcipiti cursu ferri permittit. Cuius impetus tam
vehemens fuit, vt murus eum non potuerit sustinere, sed in
alteram partem inclinatus, ad terrã ruerit. Eandem calami-
tatem altera muri pars, per quam erumpebat fluuius etiam
passa est: quandoquidem, cum aquæ violentiã non pos-
set ferre, disturbata concidit. Quod vbi vidit Saporex,
spè cõcepit animo, se nullo negotio reliquã urbem expugna-
turum. Atque ille quidem ideo quiescit, vt cœnosa aquæ
inundatio arefceret, & flumen vado transiri posset. Postri-
die autem, vbi cum omnibus copiis urbi appropinquabat,
expectabatque per dissectas muri partes in eam ingredi, tū
mu

murum vtrinque de integro ædificatum, tum laborem à se frustra susceptum videt. Nam diuinus ille vir, Iacobus, suæ præcationis virtute non solum militum, aliorumque incolarum confirmauit animos, verum etiã murum denuo extruxit, & machinis oppositis, hostes irruentes repulit. Quas res perfecit nõ accedendo ad mœnia, Sed intus in sacrosancto templo Deum præcibus enixè sollicitando. Sapores autem nõ modo ædificandi celeritate obstupescit, verum etiã visione quadã perterritus. Etenim vidit in ipso muro quendam regali planè vestitu amicum: cuius purpura & diadema mirè resplendebat. Quæ imperatorem Romanum esse suspicatus, minabatur illi mortem, qui nuntiarat eum minimè adesse. Qui cum cõstanter affirmaret, vera esse, quæ dixerat, & Constantium imperatorem esse Antiochiæ, intellexit cum visionis significationem; tum Deum pro Romanis (sic enim aiebat) bellum gerere. Itaque miser rem indignatus, telum cõiecit in aerem, non quod putabat Deum se posse ferire, quæ sciebat corporis expertem, sed quod imperum insaniam suam sustinere non potuit. Eodem tempore Ephraim, vir sanè admirabilis, & scriptor inter Syros facile excellentissimus, orat Iacobum vt conscendat mœnia, Barbaros conspicetur, & execrationis tela in eos coniciat. Cuius postulationi obsecutus sanctus vir, in quandam turrim ascendit. Ac cum videret ingentem eorum multitudinem, non aliud est illis imprecatus, quã vt Ciniphes ac culices in eos immitterentur, vti minutarum bestiarum morfu potentiam eius, qui ipsis Romanis auxilium tulerat, agnosceret. Qua re à Deo postulata, statim cinnyphum & culicum examina tanquam nubes Persarum copiis circumfunduntur. Atque tum elephantorum proboscidas, quæ sunt instar fistulæ, tum equorum & aliorum iumentorum aures naresque compleuerunt. Qui cum bestiarum morsum ferre nõ possent, frena rumpere, sessores deiicere, & aciem disturbare coeperunt. Ac tandem relicto exercitu, fugiunt, quantum possunt. Itaque miserrimus ille rex, cum ex hac leui & clementi castigatione potentiam Dei, curam piorum gerentis, perspexisset, inde domum reuertitur, ex ea obsidione non victoriam, sed ignominiam consecutus.

De Antiocheno Concilio, & quæ illic contra sanctum Meletium statuta fuerunt. CAP. XXXI.

THEODOR. HISTOR.

PER idem tempus Constantius Antiochiæ commoratus, cum iam pax erat & tranquillitas reipub. allata, & bellum Persicum confectum, episcopos denuo in vnum conuocat, cogitque eos omnes & vocem ὁμοῶσιον id est, eiusdem substantiæ, & vocem etiam ἑτεροῶσιον id est, diuersæ vel alterius substantiæ, penitus negare. Id tēporis ecclesia Antiochena propterea erat pastore destituta, quod Eudoxius, qui post Leontium illam sedem per vim occupauerat, ex ea expulsus fuit, & post multa concilia celebrata Constantinopolitanam ecclesiam contra leges & æquitatem obtinuit. Quare ipsi tum in vnum coacti (siquidem permulti erant, & ab omnibus locis collecti) dixerūt pastorem gregi assignandum: deinde communiter cum eode doctrina fidei veniendum in deliberationem. Illo ipso tempore Meletius, vir plane diuinus, vrbis cuiusdam Armeniæ antistes, quoniam difficiles & pertinaces sui gregis mores ferre non poterat, alium ad locum se transtulit ad vitam quiete tranquilleque degendam. Istum Ariani fauorē esse suæ sectæ, & doctrinæ socium suspicati, postulant à Constantio, vt ei committatur ecclesiæ Antiochenę moderatio. Nam nullam non legem audacter & liberè perfringebant, dum suam impietatem stabilire molirentur. Atque fundamentum, quo eorum nitebatur blasphemia, erat sanctarum legum violatio. Siquidem multas eiusmodi res in multis locis nouabant. Qui autem doctrina: adhaerebant apostolicæ, quoniam sanam illustris illius Meletii doctrinam, & præstabilem vitæ rationem, & virtutis denique diuitias pro certo cognoscebant, ei deligendo ipsi quoque suffragantur, & decretum de ea edendum, & ei ab omnibus subscribendum studio, quantum fieri potest maximo, curant. Quod quidem decretum tanquam commune quoddam pactum Eusebio episcopo Samosateno, egregio sanè & generoso veritatis athletæ, ab vtrisque traditur asseruandum. Vbi verò magnus ille Meletius erat ab imperatore accersitus, illico venit Antiochiam. Cui procedunt obuiam omnes sacerdotes, & cætera etiam ministrorum ecclesiasticorum caterua, & tota denique ciuium multitudo. Aderant etiam Iudæi & Gentiles cupiditate celebrem illum Meletium visendi

Genf. 19.

visendi inflammati. Imperator autem dat mandatum tum illi, tum cæteris, qui dicendi facultate valebant, ut hanc sententiam. Dominus cõdidit me initio viarũ suarum ad opera sua, populo explicarent: iubetq; notariis, qui ad celeriter scribendum erant exercitati, ut verba cuiusque exciperent, ratus sane eo pacto doctrinam eorum multo accuratorem fore. Itaque primus Georgius Episcopus Laodiceæ, insuaue erroris sui virus euomit. Secundo loco Acacius Episcopus Cæsareæ doctrinam quasi mediam interiectam, quippe quæ sicut ab illorum blasphemia abfuit longissimè, sic non integram & sinceram doctrinæ apostolicæ formam habuit. Tertius surrexit magnus ille Meletius, qui quæ sit recta verbi Dei prædicandi regulâ ostendit. Nam ad veritatem, velut ad amussim omnia dirigens, nimium & parum facilè deuitavit. Quare cum ei à multitudine tribueretur permagna laus, & omnes illum orarent, ut breuem quandã & compendiariam de fide doctrinam ipsis traderet, primũ tres ostendit digitos: deinde duobus compressis & vno extenso relicto, istam insignem protulit sententiam. Tria quidem sunt, quæ intelliguntur, sed tanquam de vno loquimur. Aduersus hanc doctrinam, illi quorum animos morbi Ariani contagio infecerat, cœperunt acuerè linguas, calumniam contexere, dicere diuinum Meletium Sabelianum esse. Proinde suadent Constantio, qui non aliter atque Euripus facilè huc illucq; ferebatur, ut Meletium patriis sedibus expelleret. Quod quidem perficiunt: atque ad eius locum capessendum deligunt Euzoium, egregium doctrinæ Arianae patronum. Nam istum ipsum magnus ille Alexander, Episcopus Alexandriae, vnâ cum Ario diacōnato abdicauerat. Populi autem pars, quæ sanam amplexabatur doctrinam, quæq; ab Ariana factione se separauerat, ad ecclesiam apostolorum in Palæa (sic enim locus ille dicitur) sitam, frequens cõfluit. Nam triginta annos post insidias Eustathio, viro sane omni genere laudis excellenti collocatas, doctrinæ Arianae impietate pertulerat, spe tēporum sustentati meliorũ. Verũ ubi apud ipsos impietatem inualescere vident, & doctrinæ apostolicæ fautores tũ palâ bello oppugnatos, clâ appetitos insidiis, & diuinum Meletium patrio solo eiectum, & Euzoium hæresis patronum pro eo in

PRON. 2. 1

THEODOR. HISTOR.

Episcopatus gradu locatū, venit illis in mentem non verborum solum, quæ olim dicebantur ad Loth, nempe, saluans salua animam tuā, sed etiam legum euangelicarū, quæ manifestò sic præcipiunt: Si oculus tuus dexter scandalizet te, erue eum, & proijce abs te. Eadem quoque dominus de manu & pede fanciuit, adiecitque: bonum est tibi vt pereat vnum ex membris tuis, & nō totum corpus tuum mittatur in gehennam. Ad hunc modum igitur constat ecclesiam dissensione diuisam esse.

De Eusebio Episcopo Samosatensi.

CAP. XXXII.

EVsebius vero ille admirabilis, cuius supra feci mentionem, cuique commune de Meletio decretum commissum fuit, cum videret pacta violata, ad urbem sibi concreditam abiit. Arianæ autem veriti, ne decreti illius conscripti testimonio plane coarguerentur, persuadēt Constantio, vt nuntium mitteret decretum ab Eusebio petiturum. Imperator ergo eorum impulsu, mittit nuntium, qui equis in itinere crebro mutatis, quam celerrimè tum aliquo proficisci, tum responsa referre consueuerat. Vbi venit ad Eusebium, & mandata imperatoris ei exponit, Eusebius, vir sane nunquam satis laudatus, non possum, inquit, commune decretum apud me depositum reddere, nisi omnes qui meæ fidei illud commiserunt, in vnum conueniant. Quod responsum nuntius refert ad Imperatorem. Ille ardens iracundia, nuntium mittit denuò, iubet decretum reddi: additque in literis se mandasse nuntio, vt nisi redderet illud, dexteram eius amputaret, cum tamen hæc ad eum perterrefaciendum solum scripsisset: siquidem vetuerat tabellarium illud facere, quod per literas Eusebio minatus fuerat. Simul atque vero diuinus ille vir, resignatis literis, intellexit supplicium, quod Imperator ei minatus fuerat, non dexteram modò, sed leuam etiam extendit, iubetque vtranque abscindere. Nam decretum, inquit, non reddam, quod Arianae improbitatis tam clarum indicium dat. Itaque imperator, intellecta eius animi magnitudine & constantia, & tum eum plurimum admiratus est, & postea laudibus efferre non desistit. Et enim inimici præstantes

stantes aduersariorum virtutes magnitudine rerum gestarum ad id compulsi, etiam admirari solent. Per id temporis Constantius cum accepisset Iulianum, quem Cæsarem totius Europæ declarauerat, res magnas per seditione moliri, & contra eum qui illi tantum honoris detulerat, exercitum cogere, decedit de Syria, & in Cilicia supremum vitam diem obiit. Nam quoniam paternæ pietatis hereditatem neutiquã seruabat integram, idcirco adiutore, quem pater ei reliquerat, omnino destitutus fuit:

& ob eam causam se fidem mutasse grauius & acerbè lamentatus est.

SECUNDI LIBRI FINIS.

II 4